VENETO

ATENEO VENETO
VENEZIA

GEORGII CORTACII TRVTINA MEDICA:

JULIUSZ VIEDICY

COOKLYCIT

TRVTINA MEDICA

Qua tum Sanguinis miſſionis, tum Vini exhibitionis uulgaris in Febribus uſus aduerſus κίμφοβους Galeni detractores pro ipſius tutela, ac ὑποφοβους perpenditur.

A

GEORGIO CORTACIO

CRETENSI

Philoſoph. ac Medic. D.

EXTRVCTA

Eminentiſsimo Cardinali Principi

PETRO OTTHOBONO

DICATA.



PATAVII, Apud Petrum Lucianum M.DC.LIV. *Superiorum permiſſu.*



Eminentissimo ac Reuerendissimo Principi

PETRO OTTHOBONO S.R.E.

CARDINALI AMPLISSIO

Domino ac Patrono enixè humillimèque

Colendo

Perpètuam Felicitatem P.

MEDICINA Cœlitus sanè ad homines demissa est. Legimus in sacris eloquijs Medicum honorem esse afficiendum, quòd B *à Deo est enim omnis medela* & inter Ethnicos Apollo bonarum artium Præses iactat, *inuentum Medicina meum est* C Hanc per sæcula viri & dignitate & Doctrina Principes, maximè verò Hippocrates & Galenus sedula opera excoluerunt, mirificèque excultam optimo fine & ad hanc vsq; diem successu optimo dedere posteritati. Nostra nihilominus tempestate emersere feruidiora quædam ingenia, quibus vetera cuncta propemodum sordent, noua verò moliri, & in vulgus protrudere, cordi est. Quod quidem hominum genus in alijs facultatibus æstimentalij, equidem in re Medica, *in* qua de humana salute erratur, nullo pacto

B Eccle. siast. cap. 36.

C Ouid. lib. 1. Met

cxij

existimo ferendos. De vno vel altero, eoque pernitioso istorum abusu, præsentem extruxi Trutinam. Quam venerando aspectui tuo (Eminentissime Princeps) humillimè sisto, & glorioso tuo nomini dico sacroque; cui perantiqua generis claritudo adauctis præfulget splendoribus. vt enim egregia gesta, quę inclyta Otthobona Familia in Florentina Republica gessit, quam Bonacius Otthobonus Vexilifer etiam rexit, præteream, quadringentis ab hinc annis Venetijs radices fixit. vbi inter alios emicat Ioannes Franciscus Otthobonus, magnus Æternæ Reipublicæ Venetæ Cancellarius, vir morum integritate, omnigenaque doctrina præstantissimus; quem omnes æui illius litterati homines maximo honore prosecuti sunt. Emicant eadem suprema Magni Cancellarij dignitate insigniti Leonardus, & Marcus Otthoboni. Quid duo illa Otthobonæ Familiæ strenua robora Antonium & Stephanum cõmemorem? qui aduersus Communem Christiani nominis hostem, Turcam, nauali prælio dimicarunt, atque vsque adeò eundem profligauerunt, vt tres etiam captiuas reduxerint triremes. Egregijs hisce & consimili-

bus

bus facinoribus inclyta tuà gens conceptum admirandæ ſuæ virtutis ſplendorem ita lon. gè ac latè diffudit, vt & Piſis, & Terni, & Rieti, & in Caſtellana Ciuitate, vniuerſaque Germania patritia geſtiat dignitate, & Veneta nobilitate (quæ omnium illibatus exiſtit flos) inter præcipuos *præfulgeat*. Iam verò tuas (Eminentiſſime Hierarcha) Celſas ac heroicas virtutes qui oratione complecti meditatur, profectò in immenſum ſoluet. Fatẽtur tot Academiæ mellifluum tuum eloquiũ admiratæ, totque Palladis certamina, vbi validis diſputationum telis pugnaſti, ac vicisti. Ioquuntur tot Ciuitates prudentiſſimè abs te rectæ, tot tribunalia æquiſſimè illuſtrata. teſtatur *ſupremum illud* Romanæ Rotæ ſacrarium, quæ virtutes ad iſthuc dignitatis Principis proximæ faſtigium ſumma cum omnium acclamatione te euexere: vndè tamen humillia non deſpicis, ſed incomparabili comitate omnes te aduntes admittis, & effuſa liberalitate complecteris. Quemadmodum Venetijs præſentes colo ac veneror Illuſtriſſimos Eminentiæ tuæ Fratres, Marcum Antonium, Ioannem Baptiſtam, & Auguſtinum, quorum ſingularem prudentiam in prouidẽ-

do,

do, admirandam ingenij perſpicacitatem in iudicando, perraram dexteritatem in agendo, ſummamquè animi pietatem in miſerendo, omnes extollunt, ac admirantur. Verùm non hic Panegyrim inſtituo, ſed obſequium duntaxat meum offero.

Accipe itaque, Eminentiſſime ac ſacratiſſime Heros, magnæ erga eminentiam tuam obſeruantiæ meę exiguum hoc litterarium monumentum, atque hilari, qua ſoles, aſpice vultu, dum ego ex intimo animi receſſu Deum optimum maximum deprecor, vt te ſoſpitem, incolumem, omnique bonorum copia adauctum quamdiutiſſimè ſeruet. Venetijs anno ſalutari. M. DC. LIV.

Eminentiæ Veſtræ

Seruus Humillimus

Georgius Cortacius.

Πρὸς τὸν παναγιώτατον, καὶ παντευγενέσιον κύριον,
κύριον ΠΕΤΡΟΝ ΟΤΤΟΒΟΝΟΝ.

Ἱερᾶς Ἐκκλησίας Ῥωμαϊκῆς Καρδινάλιν.
Ἀγαθὸν ἐξ ἀγαθῶν γεγεννημένον.
Ἡρώιων ἐν ἀρίστοις ἄριστον.
Πορφυρώσιν ἐν μείζοσι μέγιστον.
ἐν πᾶσιν ἐντιμάλισα θαυμάσιον.

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Ἔρως ἀεὶ θαλίης, ἄπλετον, Βίγστίων ἄπο ὥρης,
Ῥ' ἄμμης ὑψιμίδους ἄρτι μιλαθρα θάλλει.

Φοίνυκος ὕψεϊ, ἐυπετάλου δρυὸς εὔρεϊ εἴκτην,
Ἠδυπνόῃ γε χλόῃ ὁμμασιν ἐυθυμίη.

Ἄλκαρ ζῶσι πίλοι, λιγυρῶις ὄρνεσι χάρμα,
Πτόρθοις ἴυ γήθει, αἰετὸς ὑψιπέτης.

Αἰετὸς ὑψιπέτης πτερύγων ὑπὸ Κίνδια σῖα
Ῥωμαλίης ἀγίνει, φοίβος ὅπου τελίθει.

Τοῦ ἀγκὰς [illegible] ἀτενίζοντ' ἐξαπορβάλλει.
Τὸν δ' ἀδρίστα φίλον εἶα πάϊν σωίζει.

Ὡς ἄρα Ὀττοβόνος δολεροὺς συγεροὺς τε ἀλάλκει,
ἰοβλοὺς δ' ἰκριλίης, ϗ κρατερους ἀγύρας.

Καὶ γὰρ Πέτρῳ ἵπλετο εἴδατερ ἄνακτι ἐς Πέτρην,
Γερὰ δεσμοσύνη εὐσεβίης φιλίη.

Ἐυκλείης τοσάυτης ἱερῷ ἀνάθημα
τόδ' ἐυτελὲς ἀπεώρισα
Μιχ. Δούτης ὁ Χορτάκιος.

Ad Eminentissimum & Reuerendissimum D.

D. PETRVM OTTHOBONVM

S. R. E. Cardinalem.

BONVM à BONIS Editum.

Meliores inter Heroes optimum
Maiores inter purpuratos maximum
Cunctis in rebus apprimè mirificum.

Epigrammatis Interpretatio:

GErmen semper virescens, ingens, à Venetijs prodijt;
Romæ altiregnantis modò in atrijs floret.
Palmæ altitudini, roboris frondescentis laxitati æquatur.
Iucundo gramine, est, oculis hilaritas.
Tutamen viuentibus extat, dulcisonis auibus iubilum,
Ramis eius gaudet Aquila altiuolans.
Aquila altiuolans alis sub profundis filium
Strenuè vehit, Phœbus quo degit.
Cuius splendidum iubar hauo fixis oculis inspicientem, respuit.
Intuentem autem, dilectum tanquam natum constringit.
Sic igitur OTTHOBONVS dolosos, tristesque expellit,
Bonos diligit, & strenuos viros.
Etenim PETRO reperitur tanquam supereminentem PETRAM,
Sacra Lex, pietatisque amor.

Ad tantæ gloriæ aram exile hocce votum appendit
Michael Cortacius Sac.
Aucl. Frat.

Ad Præstantissimum ac Celeberrimum Venetorum Medicorum Collegium.

Fabulati sunt olim Poetæ (Præclarissimi ac Sapientissimi Hippocraticæ ac Galenicæ scientiæ Proceres) R Eunomum celebrem Musicæ Magistrum Aristoxenis æmulum suam pulsantem citharam melodicum edidisse sonum, qui nihilominus rupta nervia incomptus permanserat: at Cicada fortuitò per aerem subuolans simulque canens, cantu suo fidis deficientis suppleuit sono, victorquè Eunomus ipse super æmulatorem salutatus est. Sonoræ adinstar Citharæ est Medicina, cuius præcipua Chordæ est sanguinem in febribus detrahere, vinumquè ab iisdem eliminare, Galenus veluti Eunomus extitit, cuius æmuli quasi Aristoxenes Erasistratus, ac Petrona extiterunt; hanc personas citharam febrium immanitatem demulcebat, soporabat dolorem, ac feruorem extinguebat, summaquè super Antagonistas victoria semper potitus erat; hac tamen fide indè abscisa huiusmodi concentus concinnitas subuertitur, proteruiquè horum æmulatorum aßeclæ triumphum auferre audent. Nos quasi Cicada garrula huius operis cantu Chordæ deffectui supplere conati sumus. Adiudicarunt quidam ex Veteribus Cicadam haud ore, sed pectore canere. nos quoq;

R Strab. lib. 6. Geograph.

non

non ambitionis aura, sed corde, veritatis amore perpulsi, hæc deprominus conscripta. Verùm enim verò scimus Cicadam in cantus vigore à vehementi Phœbi ardore adustam, ac exsiccatam quàmbreui vitæ interuallo interitus dominio se se tandem subijcere. Subueremur & nos ne ab importuno maleficæ inuidiæ æstu debiles hi nostri labores perurantur, ad exitiumque denique properent. Ad vos propterea (Patres amplissimi; qui quidem quasi noui Orphei harmonica vestræ scientiæ Citharæ ægrotantium corpora tot ferè Eurydices à Proserpinæ manu eripitis, quorum sane suffragia ac responsa, vt olim Veteres Romani Athenis leges petebant; sic nunc exteræ Europeæ nobilitatis ambiunt nationes, adeaque adinstar oraculi Delphici hianti anhelant affectu) ad vos, inquam, recurrimus, supplicesque deprecamur, vt inconcusso vestræ doctrinæ robore harum lucubrationum imbecillitatem persulciatis, vestræque experientiæ vmbra easdem tegatis, ad maiorem veritatis conspicuitatem, Galeni gloriæ depressæ elleuationem, ac posteritatis vtilitatem. Valete excelsa Reipublicæ Medicæ lumina, diù viuite prævalida humani generis tutamina, tenellosq; hosce animi mei partus læta fronte suscipite.

Georgius Cortacius
A. Vobis singulis deuotissimus.

AD LECTOREM.

Typographia huius operis Patauij nobis Venetijs existētibus, peracta est. multa errata in Orthographia existunt, plura verba sūt vitiata, quędamq; in Orationis serie omninò omissa fuere: quorum potiora correcta atque restituta reperies, reliquis tua benigne Lector, satisfaciat prudentia. Cæterum si exiles hi nostri ingenij fructus ea suauitate haud scateant, qua Gragijs Musa ore rotundo dedit loqui, veniam nobis prębeto; quoniam institutum nostrum fuit viris quoq; non emunctę naris satisfacere. iam

non te latet dulcia haud omnium guſtum conciliare ; rem præcipuè tanti momenti nequaquam licebat fucoſa verborum elegantia explanare: quicumq; illi ſint, ſi notum nobis erit , tibi gratos fore , animum nobis præbebis , vt alios etiam depromamus . Vale Deoq. optimo maximo omnium bonorum cauſæ ſummas agito gratias .

Author.

Errorum Correctio

Pagina	Versus.	
6	1.	*minime conuenire, lege in minime in febribus conuenire.*
9	33	*& iam in, lege etiam in*
20	4	*non missionem sanguinis mittendi quantitatem, lege non missionis sanguinis sed sanguinis mittendi quantitatem, &c.*
23	20	*& Auicenna, lege vt Auicenna.*
26	11	*propè verborum processum est, adde audacter mittendus sanguis est.*
40	6	*brenitati, lege brenitate.*
47	5	*remanfit, lege remansum.*
54	2	*applansum, lege appulsum.*
55	23	*exsudare, lege exsiccare.*
56	8	*infringentem, lege infringentes.*
57	22	*gnquit, lege inquit.*
57	24	*ebribus, lege febribus.*
64	6	*tertia, lege tertiana*
83	32	*forti, lege fortis.*
86	28	*vt sequitur discursus, lege vt sequitur discurrunt.*
104	22	*ab vsu, lege ab vro.*
111	28	*hand sufficiens, adime illud hand.*

Anno Domini 1652. 7. *Nouembris in Cartusia. Venetiarum.*

EX Commissione Reuerendissimi Patris Inquisitoris Generalis Venetiarum &c. perlegi Librum, cui Titulus est (Trutina Medica à Georgio Cortacio Cretensi extructa) foliorum in 4. n. 202. Incipit *Medicina cælitus sanè Sacra illa, & pulcra Veritas &c.* Explicit; *Omni animi nixu precamur, volumus, Optamus, &c.* Nihilque in eo sanæ & Orthodoxæ Doctrinæ aduersum inuenti, quinimo singulari doctrina, & eruditione referrum ipsum reperi.

Ita est, *Deiderubinus* Brusonus Mon. Cart,

Imprimatur
Frater Ambrosius Fracassinus Mag. & Inquisitor
Generalis Venetiarum M. qui sup.

Noi Riformatori dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquisitor Generale del Santo Officio di questa Città, come nel Libro intitolato Trutina Medica à Georgio Cortacio extructa: non v'è cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & similmente per attestato del Segretario Nostro niente contro Prencipi, & buoni costumi concedemo licenza che sia stampato, douendo osseruar le Leggi in questo proposito. In quorum fidem &c.

Dat. li 4. Decembre 1652.

[Vicenzo Gussoni Caualier Procurator Reformator.
[Zuanne Pesaro Cau. Proc.

Pietro Vianoli Seg.

TRVTINA MEDICA

De neglecta Sanguinis missione in Febribus.

PROEMIVM.

SAcra illa, ac pulchra Veritatis Lux adeò hisce temporibus ab obscuris falsitatis tenebris obtenebratur, vt syncera quidé ac prælucida minimè reperiatur. Hinc magnus ille Philosophus Democritus veritatem in profúdo puteo demersã esse, haud immeritò finxit. Equidem quis nescit se non inter loci limites contineri? non dari nihilominus locum varijs Sophismatum ambagibus A Zeno antiquus Philosophus cõtendebat. Quis nescit nec omnia continuo motu moueri, nec omnia semper otiari? Heraclitus tamen & Cratilus B res naturales perpetuo fluxu rapidi ad instar fluminis agitari constanter asseuerabant, quidamque è contra (inter quos ipse C Zeno fuit) à rerum natura omninò motum auferebant. Quis nescit hunc sublunarem globum intra sui centri Sphęram planè immotum secundum se totum non quiescere? Corporaque Cælestia perenni ac inalterabili motu super Cæli puncta immobilia non circumuolui? Heraclides nihilominus Ponticus, D. Philolaus Pythagoricus alijque multi firmæ, ac immobili terræ mobilitatem, volubili verò Cęlo quietem asseueranter exhibuerant: Innumera alia conticeo, quæ etsi perspicua ac luce meridiana nitidiora existant; à plurimis nihilominus altercantur, ac in dubium vertuntur, vel quia innatam contradicendi obtinent cupiditatem, seu vt ille ait.

F Namque hoc tempore
Obsequium amicos, veritas odium parit.

Vel vt nouarum inuentores cęterisque maiores conspiciantur, veras, ac celebres virorum sententias contemnentes, penè illum imitantes Herostratum, qui vt ipse quoque in perennitatis sinu depictus viuat, Diuæ templum Dianæ incendio subiecit; hinc de illis iure effatur.

G Nimium alterans veritas omittitur.

Haud mirum propterea sit, si in Medicina scientia profectò tam abstrusa ac præstanti tot altercationes, totque dubia passim extant, quæ hìc recensere mens nostra non est, duo duntaxat examinare, ventilare, ac Trutinæ nostræ subijcere accingimur, vnum est circa sanguinis in febribus detractionem pro Galeni aduersus αἱμοφοβους defensione; alterum circa vini in ijsdem exhibitionem contra huius sæculi ὑδροφοβους; quoniam hæc veluti duo Poli sunt, super quos ingens illud Medicinæ Cœlum circumuoluitur; siquidem

A Philosophus in 4. Phys. id refert.

B Aris. 6. lib. phys. tex. 23

(Philosophus ipse lib. 6. phys.

D Plutar. lib. 3. de plac. phil. c. 13.

F Ter. And. 11.

G Pron.

Matth. 16. 17. & 27. & Gen. 4. 10.

sanguis est totus F homo, in sanguine vita consistit, vitaque robur à vino H mutuatur. Hæc præstare conabimur ', vt veritas iam inuoluta, atque obscura, nuda ac perfulgens ob oculos virorum pro viribus constituatur; exordium autem à priori sumimus; quare sit.

H Plato lib. de legib.

CAPVT PRIMVM.

Quanam circa Sanguinis in Febribus missionem Galeni, tum aliorum Medicorum ante eum, & post ipsum sententia fuerit.

GAlenus alter sanè Hippocrates ingeniorum Apex, summus admirandorum Mycrocosmi Scrutator, lux ac splendor Medicinæ, cuius scripta vt rara, ac præclara omnes amplectuntur gentes, & veluti Delphi Oracula venerantur; cuius nomen Laudibus extollitur, cuius opera inter alias Regiones summa illa Vrbs, Vrbium Regina, scientiarum ac artium Magistra, summopere admirata fuit: Galenus, inquam inter cętera præcepta pro febrium eradicatione generale nobis reliquit documentum in XI. Methodi Medendi Capite XV. *Saluberrimum igitur est in febribus venam incidere, non continentibus modò, verùm etiam in alijs omnibus, quas putrescens humor concitat*, &c. imitatus quidem eximium Magistrum Hippocratem, qui in quarto acutorum textu 19. hanc vniuersalem protulit sententiam, *in acutis autem morbis sanguinem detrahes*, &c. indicatum autem iam præceptum Galenus tanquam amplum, & vniuersale subsequentibus coarctat verbis, dum ait; *vbi præsertim nec vires nec ætas prohibent*; & hoc forsitan vt diuini præceptoris doctrinæ penitùs architectari videatur, qui prædictis verbis in illo X. acutorum addidit, *si vehemens morbus videatur, vigeatque ægrotanti ætas, ac virium robur adsit*, &c. hæc est circa hanc rem Galeni opinio, tota profectò Galeni dogmatibus conformis; quam infrà suo loco fusè explicabimus.

Ante Galenum omnes, qui viguerunt Medici, tum rationales, tum etiam Empirici à venæ sectione in quouis morbo minimè abstinuerunt, vt ipsemet Galenus Libro de venę sectione aduersus Erasistratum Capite 5. refert; nec obijciendum eos tale pręsidium non in febribus, sed in alijs morbis duntaxat administrasse, quoniam si id esset verum, Galenus, qui cuncta fusa consuevit explanare Oratione, id quoque declararet, sicuti de Erasistrato in Capite 1. libri indicati loquens, fatetur eum nunquam sanguinis missione in vllo morbo vsum fuisse: quinimmo nec ipsius vllibi mentionem

tionem feciſſe niſi ſemel præter inſtitutum, vbi de ſanguinis reiectione ſermonem fecerat: & confirmatur, quia Aſclepiades vnus ex antiquis Medicis ante Galenum extitit, quamplurimos ſectatores habuit, Medicorum præcipuè Pariſienſium Anteſignanus ſemper fuit: in Pariſienſi autem Academia quin vniuerſa Gallia frequens, & vberrimus eſt ſanguinis detractionis in febribus vſus: veriſimile propterea eſt ipſum Aſclepiadem, quem indicata Academia colit & ſequitur, ſanguinem in febribus mittere conſueuiſſe; ac proinde fatendum eſt tum Veteres Medicos, tum etiam Aſclepiadem eundem, qui ante Galenum extiterunt, ab hac laudabili operatione minimè abhorruiſſe.

Tempore verò Galeni cuncti Eraſiſtrati ſectatores, qui ſanguinis eductionem tanquam in verbis Magiſtri iurati ſummoperè contemnebant, eamque tanquam dirum fugitabant Aſpidem, tandem quemadmodum veteres Philoſophi, referente Ariſtotele 1. phyſicorum textu 48. veritate coacti confeſſi fuere principia rerum naturalium eſſe contraria: ſic iſti vi veritatis impulſi vtilitatem in febribus ſanguinis miſſionis confeſſi ſunt; itaque non ſolùm in febribus magnis, ſed in quauis febre etiam exigua ægrotis ſanguinem mittebant, vt ipſe Galenus libro aduerſus Eraſiſtrateos capite 1. in fine fatetur.

Poſt Galenum Paulus Aegineta curam febrium putridarum tradens lib. 3. cap. 18. de re Medica ſic effatur; *ſi vires ſint valida ei qui ex putredine febricitat, ſanguinem dimittes protinùs, modò cruditas in ventre non exiſtat, at ſi vires imbecilla, aut ætas prohibeat, ſanguinem non detrahes.* Aetius libro 5. de re Medica capite 74. propoſitis febrium putridarum indicationibus, ita alloquitur: *ergo ſi virtus valida fuerit, vena incidenda eſt, remota prius ventriculi cruditate*, &c. Alexander quoque Trallianus libro 12. eandem febrium curationem proponit, dum inquit: *itaque febres ex putredine & ſanguinis abundantia orta vena ſectione curari debent*; &c. omnes ad ſummum Auctores Græci ſanguinis in febribus detractionem tanquam perutile, & præſentaneum remedium amplexati ſunt.

Auicennas, vt reliquos ſileam, Arabum Medicorum Princeps 1. quarti tractatu 2. capite 7. phlebotomiam in febribus putridis conuenientem eſſe his verbis teſtatur: *quòd ſi fuerit fortis, & fuerit illud quod vincit ſanguis, aut cum humore qui vincit, ſanguis, tunc phlebotomia eſt magis conueniens*, &c. quinimmo in ephemera ex obſtructione eam ipſam perutilem eſſe libro citato tractatu primo capite 33. hoc pacto aſſeuerat: *Cum cauſa eſt multitudo humorum, & repletio tunc oportet vt in principio properes ad phlebotomiam, &*

euacuationem, &c. & si in tam febre miti Auctor hic phlebotomiam tanti fecerit, multo magis eam ipsam in magnis, & ardentibus febribus æstimasse fatendum est.

Cornelius Celsus ex Latinorum Corea elegantissimus Medicus ab enarratorum *Auctorum* sententia minimè discrepat: Libro enim 2. de re Medica capite x. sic loquitur: *ergo vehemens febris, vbi rubet corpus, plenæque venæ tument, sanguinis detractionem requirit:* &c. At ne verborum superfluitate tempus conteramus, summatim asserimus, quod cuncti scientiæ Medicæ Scriptores passim in omni Academia, omnique regione etiam præcalida, ac præfrigida sanguinis in feb 2.bus effusionem tanquam laudabile, ac præstantissimum pręsidium toto Cœlo celebrant, aprobant, laudant, ac amplectuntur. Cardanus solus nihilominus elapsa tempestate in Epistola ad Cardinalem primum Alciatum, Prosperusque Martianus in librorum Hippocratis Commentarijs, ac quidam alij, sed perpauci hodierna luce efloreścentes eam ipsam ex aduerso tanquam anguem, & Pestem reprobant, aspernantur, respuunt, ac detestantur: Galenumque præcipuè tantę famę, ac glorię apud omnes gentes (ac si ipse solus illius inuentor esset) varijs contemptionibus inculpant, dilacerant, ac ipsius dogmatum prestantię detractant. At quanta horum virorum in febrium vrgentia retinendo in venis sanguine est auaritia; tanta quorundam aliorum est prodigalitas quacumque in febre in eodem effundendo. Vtriusque classis fundamenta, ac rationes in medium afferre opere prętium ducimus.

CAPVT SECVNDVM.

Primæ Sententiæ fundamenta ac rationes proponuntur.

VAriæ, ac plurimę extant rationes & fundamenta, quibus huius opinionis molem fulciunt, ac sustinent; quę omnia hic enarrare, lectori quidem me tedio fore, haud me latet: verùm potiora, & quę vt Achilea vis ab ijsdem viris existimantur, quam breui oratione proponemus.

Primum eorum fundamentum ex Hippocrate libro de natura humana textu 24. desumitur: ibi hęc habet: *febres plurimæ à bile fiunt, species ipsarum quatuor sunt, præter eas quæ ab occultis doloribus generantur, nomina ipsarum sunt. Continens, quotidiana, tertiana, quartana, continens itaque appellata à plurima, ac meraciſſima bile prouenit, & indicationes quam breuissimo tempore facit, corpus*

ēnim nullo tempore refrigeratum citò colliquescit, nimirum à multa caliditate calfactum. Quotidiana verò post continentem à plurima bile generatur, & præreliquis celerrimè discedit: verùm longior est continente, quanto à pauciore bile prouenit. &c. tertiana autem longior est quàm quotidiana, & à pauciore bile gignitur, &c. at verò quartana reliqua iuxta eandem rationem habent, sed tertianis diuturniores sunt, quanto pauciore bilis parte participant, &c. quem locum hoc pacto interprætantur; nulla febris excitatur nisi bilis tanquam sulphur igneum calorem humoribus communicet: nam reliqui humores propter eorum crassitiem ac temperamenti diuersitatem inepti ac insufficientes sunt ad febrilem calorem concipiendum; vnde bilis fomite indigent; prout autem bilis magis vel minus syncera, in maiorique, aut minori copia existit, hæc vel illa generatur febris; nam si bilis syncerissima, ac in maxima copia sit, tunc continens oritur febris, quæ quam breuissimo tempore iudicatur; quia quemadmodum bilis propter sui subtilem, ac tenuem substantiam facilè, ac citò igneum recipit calorem: ita pariter propter eandem subtilitatem agiliter attenuatur, ac consumitur; & quantum in magna copia est; tantum celeriùs comburit, ac anihilat materias sibi subiectas; hinc fit, vt talis febris celerrimas habeat iudicationes. Si verò bilis, vt in enarrata febre, non tam syncera, ac copiosa existat, tunc alia febris gignitur, & appellatur quotidiana, quæ quidem tantò continente longior est; quantò à pauciore, ac minus meraca fiat bile. Sic quoque si in minori copia bilis peccet, tertiana, tertio quoque die inuadens producitur; quæ tanto est quotidiana diuturnior; quantò à minori proueniat bile. Si adhuc in minori copia, quàm in iam explicatis existat, quartana omnium longissima generatur, quia quarto duntaxat die ægrotum vexat. Itaque omnes istæ febres à bile producuntur. Hanc doctrinam tali confirmant ratione; quia vt colligitur ex Hippocrate Libro de natura humana citato textu 6. causa immediata febrium non est putredo ex prohibita transpiratione facta, vt Galeno placuit, sed vt plurimum humorum est segregatio; his autem segregatis pituita, melancolia, ac sanguis cum natura crassi, ac tardi motus sint, non tam citò incalescunt, sicuti bilis calida, & sicca, celerisque motus; celeriter itaque ipsa calefacta atque ignita, illi etiam humores ab eadem calefiunt, atque ignescunt, sicque prædictæ generantur febres; ergo febres omnes à bile ortum ducere nullatenus est ambigendum; & propterea Hippocrates ipse Libro de locis in homine textu 38. pro febrium curatione pharmacum, quod bilem educat, duntaxat proponit. Hinc huiusce sententiæ viri duo colligunt; vnum est quod penes Hippocratis mentem sanguinis missionem minimè conue-*

Omnes febres à bile gignuntur.

Humorũ segregatio nõ putredo est febriũ causa.

Secũdũ Hippo. sanguinis missio in febrib. non conuenit.

conuenire: quia cum febrium bilis sit causa, sanguine extracto, ipsa bilis suo destituitur freno: vnde ebulliens magisque furens euadit, quod sanè non mediocrem ægrotantibus solet afferre pernitiem: alterum est, quòd penes eundem Hippocratem febres non secundùm humorum varietatem (cum iam èxplanatum sit omnes à bile fieri) sed iuxta maiorem vel minorem bilis quantitatem inter se discriminari.

Secundum Hippo. febres nõ nisi iuxta bilis quãtitatem inter se differunt.

Secundum fundamentum est; in febribus humorum concoctione summa indigentia est: cum absque ea nec ars, nec natura quicpiam rectè moliri queat, vt ex Hippocrate prima sectione aphorismo 20. colligitur: ergo quęcumque humorum concoctionem turbare possunt, iure vitanda sunt; missio autem sanguinis in febribus humorum concoctionem impedit: nam concoctio ex Aristotele 4. Meteorum capite de concoctione & Hippocrate, 4. de ratione victus in acutis textu 44. per quietem perficitur: modò sanguine extracto humorum massa, quæ intus corrumpitur, de loco in locum mouetur, sanguis ipse per corpus diffunditur, viscera occupat, & implet, ac ad corruptelam disponitur; sicque cuncta in corpore confunduntur, in qua quidem confusione natura à suo distrahitur opere; ergo sanguinis missio concoctionem impedit, qua propter ne febricitanti aliquod inferatur damnum, ab ea abstinere oportet.

In sanguinis missione floridus sanguis euacuatur, biliosus ac pituitosus in corpore remanet.

Tertium fundamentum valida Hippocratis auctoritate construunt; Libro enim de natura humana textu 11. hæc habet, & *iugulatis primùm quidem sanguis calidissimus, & ruberrimus profluit, deinde pituitosior, ac biliosior*, &c. ex hoc inferunt quòd si in cacochymia damnosa est sanguinis effusio: quoniam, etiam si moderata sit, rubicundo, ac puriori sanguine priùs effuso, pituitosiori verò ac magis bilioso intus manente, ipsa cacochymia cum patientis pernitie inualescit; multo magis pernicioſa est si febris præsens sit, quia florido ac synceriori sanguine extracto, tum biliosi tum pituitosi humores intus remanent, illi à calore febrili magis attenuantur, aduruntur, ac magis furentes, & præcipites redduntur, isti incrudescunt, magis infrigidantur, grauant, vimque naturæ inferunt: ergo ad euitanda hæc mala, vbicunque adsit febris, non oportet sanguinem detrahere: quod autem talis conclusio Diuini Senis menti consonet: patet ex libro de coacis prænotionibus, vbi ait; *dolores iuxta latus in febribus tenuiter consistentes, citra notas, venæ sectio læserit, siue cibum aduersetur æger, siue præcordium sublime habuerit*, &c. ecce quod in hoc casu etiam si alia adsint, quæ venæ sectionem suadeant; ob febrem nihilominus eam ipsam Hippocrates damnat. Idem in alijs præstat locis, præcipuè in Libro proximè

Ob febris præsentiam Hippocr. in morbis sanguinem non detrahit.

ximè citato sectione secunda vbi hæc reliquit verba: *quibus derepente, dum sine febre sunt, præcordij & oris ventriculi dolor, & circa crura & infernas partes, & aluus in tumorem eleuata est, soluit venæ sectio, & alui fluxio: his febrire nocuum est*, &c. ecce pariter quòd ob aliorum affectuum grauitatem venæ sectionem laudat, sed inde ob febris præsentiam nocuam, ac perniciosam eam esse iudicat; quapropter à febribus meritò eliminanda est.

Quartum fundamentum desumunt ex ipso *Hippocrate* 2. Libro de morbis mulierum textu 1. vbi varios enumerans morbos ex immodico mensium fluxu contingentes, subdit, *ad hæc & stomachi morsus fiunt, & perfrigerationes, & febris bilis meracæ, & pruriginosæ*, &c. ex hoc sic arguunt; ad curandam febrem non sunt agenda quæ febrem ipsam inducere possunt, sed sanguinis effusio, vt ex iam indicato loco patet, est ex ijs, quæ febrem inducunt: ergo fat iuseſt eam in febribus dimittere. Confirmatur, quia effuso sanguine reliqui humores à feruida agitantur bile, ac calefiunt tanquam ab ea, quæ suo orbata regimine, commota ac feruefacta existit: in tali autem calefactione ac agitatione si febris adsit, augetur, & si non adsit de nouo generatur: hinc toto Cœlo recentiores decipiuntur, sanguinis extractione in febribus corpus valenter posse refrigerari, contendentes: quinimo ipsum propter huiusmodi euacuationem potiùs calefit, turbatur, ac in pernitiem inducitur; quapropter in febribus nullo modo licet sanguinem detrahere.

Sanguine detracto febris augetur.

Quintum fundamentum est: calor noster natiuus tunc perfectè conseruatur, ac à morbis præseruatur quando benè nutritus ac ventilatus existit: è contra verò destruitur suffocatus, ac alimento priuatus: suffocatio autem talis ac alimenti priuatio contingit, aut ab excrementorum multitudine, eo modo quo accensi carbones à cinerum copia extinguuntur, aut à caloris, siue frigoris, vel alterius qualitatis excessu, aut vitio: quare opus & institutum Medici est calorem custodire natiuum, abiectis omnibus impedimentis quo minus à talibus lęsionem recipiat, ita vt sufficienter ventilatus sufficientem ad se pro sui conseruatione nutrimenti quantitatem trahat: modo talia pericula ac mala calori natiuo contingere possunt in magnis inflammationibus, viscerum strangulationibus, vehementibus partium principalium doloribus, vterinis in mulieribus præfocationibus, alijsque magni momenti affectibus, à quibus calor natiuus aut planè exstinguitur, ac suffocatur, aut actio alicuius membri, ad ornamentum vel conseruationem humani corporis instituta corrumpitur, propterea Hippocrates (vt passim in cunctis operibus suis tueri licet) in enarratis casibus sanguinis

Hippoc. in morbis magnis solum sanguinẽ mittit.

guinis missionem laudat ac approbat, ne scilicet calor natiuus à talium morborum violentia lædatur, ac extinguatur: at quia in tumoribus paruis, in febribus præcipuè intermittentibus, in chronicis, ac continuis nullum extinctionis caloris natiui, aut alicuius actionis destructionis periculum absolutè imminet; iccirco in his sanguinis depletionem nequaquam admittit, ne ab re ægrotantis corpus ob sanguinis motum afficiatur; pharmacis duntaxat vtitur, vt & sanguis purificari, & noxij humores euacuari possint. Hoc fundamentum expressis Hippocratis ipsius & Auicennæ testimonijs corroborant, Hippocratis quidem, qui vbicumque adest febris sanguinis detractionem haud permittit, quod tum ex iam allatis locis, tum ex alijs patet, præsertim ex 2. Epidemiorum sectione 5. vbi hæc habet; *si verò vlcus fuerit, internas venas secato, si non febricitet*, & paulò post subdit, *quicumque de repente voce destituuntur, si sine febre fuerint, ipsis venam secato*, &c. Auicennas, qui in 1. Fen. lib. 4. tractatu 1. capite 33. febre præsente phlebotomiam vetat: eius verba sunt hæc: *& vt phlebotomes eum cum iam non febrit, tunc est melius, & quando febrit, si non fuerit necessitas, tunc statio est magis conueniens, phlebotomia enim facit humores currere, & permiscet inter eos* &c. & in tractatu 2. libri eiusdem capite 43 in Cura Causonidis ait: *& non phlebotometur, fortasse enim inflammabit eos*, &c. ecce quod magni isti Præceptores in alijs casibus præterquam in febris præsentia sanguinis missionem allaudant, eandem scilicet in febre ipsa semper nocuam, ac inutilem agnoscentes: & si Auicennas fidus in alijs Medicinę præceptis Galeni sequator ad hanc deuenerit sententiam, vt à phlebotomia in hisce febribus contra illius dogmata abstinuerit, fatendum propterea est eam quidem in febribus valdè indecentem, ac pernitiosam exittere.

In febribus caloris natiui extinctio non imminet.

Hippoc. in febrib. sanguinem non detrahit.

Auic. phlebotomiã in febre vetat

Verùm vt præpositam illam molem magis spectabilem, ac concinnam reddant varias aduersus Galenum subnectunt reprehensiones: & primò quod in Libro de curatione per sanguinis missionem capite 6. & 9. tradita regula vniuersali: sanguinem scilicet esse detrahendum vbi morbus præsens, vel futurus magnus sit, florens ægritudo, ac robur virium sufficiens adsit, illam deinde adeò coarctat, vt rarò in praxi obseruari possit; ibidem enim ætatem excipit puerilem, ac senilem; præterea in capite x. eiusdem Libri hæc habet, *at vbi crudi succi exuperant, antequam morbus inuaserat, cautè euacuabis, sed vbi iam febris corripuerit, vt antea monui, nequaquam*, & in 9. Methodi Medendi capite 5. vbi patientis habitus mollis, & rarus, vbi ambiens calidus, & siccus, aut valdè frigidus adsit, *ad hæc quibus os ventriculi, aut amara bile abundat, aut imbe-*

imbecillum est, aut, ipramodum sensile, sanguinis depletionem dehortatur. In xi. Methodi Medendi Capite 14. eadem iam proposita repetit, & rursus in primo ad Glauconem capite 14. tum eosdem enarratos excipit casus, tum etiam alios plerosque, præcipuè vbi vomitus, vel neruorum distensio, vel aluus fluida adsit, quo loco pro alui fluxu addit, *hæc sola sufficit, quamuis non sit pro multitudinis ratione*, sic vbi pertinaces vigiliæ, dolor intensus, vel aliud graue symptoma ægrum infestent; & quod magis est quasi oblitus illius regulæ ab ipso in xi. Methodi Medendi capite xv. traditæ quod in febribus putridis saluberrimum sit mittere sanguinem, tradens tertianæ exquisitæ curationem, quæ tamen est febris putrida, in primo ad Glauconem capite 9. nullam de sanguinis extractione mentionem fecit; quapropter Viri illi duo concludunt, vnum est quòd etiam secundùm Galeni eiusdem doctrinam inconueniens est in febribus sanguinis missio, quia vix ægrotus aliquis inueniri potest, in quo vna vel altera ex præpositis exceptionibus & contra indicationibus non reperiatur, alterum quod concludunt est, Galenum vagum, inconstantem, ac sibi contradicentem esse, vt ex serie eorum, quæ proposita sunt patet; hoc autem ingenij tenuitatem, ac insciciam arguit; quoniam auctore Aristotele 1. posteriorum textu 17 *oportet simpliciter scientem immutabilem esse.* haud mirandum ergo si varij Auctores aduersus eius doctrinam tanquam inanem ac confusam insurgunt, eamque contemnunt, ac reijciunt, & propterea præcepto suo vniuersali, quod in omnibus febribus putridis saluberrimum sit venam incidere, tanquam veritati repugnanti, necnon humano generi summopere pernitioso nulla adnibenda est fides. Hisce rationibus ac fundamentis, hisce opprobrijs ac contemptionibus contra Galeni æstimationem illam nouæ opinionis molem adificant, quam vt præclaram ac veriorem exaltant, prædicant, ac cæteris præferunt.

Galeni cui-pa.

CAPVT TERTIVM.

Secundæ Sententiæ rationes proponuntur.

AVctores illi, vt iam dictum est, alterum obtinent extremum; sustinent enim in qualibet febre, & iam in exquisitis & hecticis tùtò posse venam incidi: viri sanè non mediocris notæ, inter quos est Zacutus Lusitanus Libro 4. praxis Historiarum capite 15. Leonardus Botallus in Libello de Curatione per sanguinis missionem, & Franciscus Arquatus in opere, cui titulus est Medicus

reformatus; Zacutus autem non ita liberalis vt Botallus est ; se enim explicatde hectica primi gradus dumtaxat intelligere, in qua, ait, salubriter sanguinem posse mitti ; ad hanc autem opinionem probandam prolixa orationis serie vtuntur; nos verò quam breuiter eius medullam duntaxat attingere, sufficiens pro nostro instituto esse existimamus.

Præsidium quod corpus valet refrigerare ac calorem natiuum ventilare tum in alijs febribus, tum etiam in exquisitis, & præcipuè in tertiana, ac hecticis, quæ maximè refrigeratione indigent, tutò est admittendum: quia quælibet febris refrigerantia remedia ex Galeno xi. Methodi Medendi capite 3. indicat, sed sanguinis missio id præstare apta est, ergo etiam in hisce febribus ab hac quidem non est abhorrendum. Confirmatur quia sanguinis extractio supposito febricitantis virium robore celebratur, sed in exquisitis febribus & in hecticis, & vt Lusitanus addit in hectica primi gradus, vires sunt validæ, ac sufficientes, ergo in his sanguis euacuari debet. Præterea vbi est humorum impuritas, tanquam ad corporis nutritionem inutilis, ibi sanguinis euacuatio celebranda est, vt quod impurum est simul cum sanguine è venis eliminetur; vena enim incisa non modò sanguis; verùm etiam cęteri impuri profluunt humores; sed in febribus exquisitis ac hecticis magna humorum adest impuritas, ergo ab his sanguinis missio minimè reijcienda est, vt talis scilicet impuritas euacuetur, corpusque probo sanguine nutriri possit. Non desunt auctoritates Hippocratis, & Galeni, quibus hanc muniunt sententiam; Hippocrates enim in 5. Epidemiorum textu 2. Oeniadi extenuato ac tabifico venam vtriusque manus haud infausto successu secuit: & Galenus in 5. Methodi Medendi capite 14. curam phtisis proponens sanguinis laudat eductionem, à quo tamen morbo febris hectica inseparabilis est: si ergo in hoc affectu, in quo vires magis sunt imminutæ quàm in hectica primi gradus sanguinis euacuatio conueniens sit, multò magis decens, & opportuna in hectica primi gradus existit: eo enim tempore vires adhuc validæ sunt.

Adiungunt etiam illum Galeni locum in xi. Methodi Medendi capite 15. vbi de Curatione febrium agens refert. *Saluberrimum igitur est in febribus venam incidere non continentibus modò*, &c. quod quidem præceptum est vniuersale cunctas amplectens febres, ergo tum exquisitæ tum etiam hecticæ sub hac comprehenduntur regula, ac proinde à missione sanguinis nequaquam sunt excludendæ.

His varia experimenta ab ijsdem Auctoribus peracta addunt, Botallus precipuè in opere indicato varias hecticorũ historias

recen-

recenset, quibus iterata ab eodem venæ sectione pristinam retribuit salutem, & Arquatus Historiam cuiusdam tertiana exquisita laborantis recitat, quem sanguinis depletione feliciter curauit.

Et si aliquis dicat, quod Galenus in 1. ad Glauconem capite 9. de Curatione tertianæ exquisitè agens, sanguinis haud meminit missionis; ergo signum est quòd secundùm Galenum sanguinis extractio in febribus exquisitis minimè conuenit: Respondent id fecisse, quoniam prędictum præceptum genericum in 11. Methodi Medendi traditum supposuit, vel quia Glauconi viro quidem doctissimo conscribebat: illicitum autem est viris doctis res claras, & perspicuas (sicuti pro Tyronibus fieri solet) explanare, ac proponere, inanis ergo ac inualida talis obiectio est, ac proinde probatum remanet, quod in febribus exquisitis tertiana præcipuè, ac hecticis sanguinis detractio vt optima ac saluberrima nequaquam est formidanda.

CAPVT QVARTVM.

Varia considerantur opiniones quodnam sanguinis missionis proprium indicans, quodnamque permittens sit.

ANtequam Criticorum lúci circa sanguinis in febribus detractionem nostram offeramus sententiam, ac priusquam vigor aduersariorum argumentationum prosternetur pro maiori veritatis claritate quodnam sit sanguinis missionis verum indicans, quodnamque permittens examinare opere prętium duximus. Tres circa hanc rem opiniones extant; prima tenet sanguinis detractionis indicans plenitudinem esse, non morbum magnum, quod sic probat. Commune Galeni axioma est in 11. Methodi Medendi capite 3. alijsque locis quòd contraria contrarijs curantur, sed sanguinis euacuatio plenitudini contraria est, ergo plenitudo sanguinis euacuationis verum est indicans. *Plenitudo sanguinis missionis indicans.*

Secundò, *semper propter quod vnumquodque tale est, illud magis est tale* ex Aristotele Libro 1. posteriorum textu 15. sed per plenitudinem morbus est magnus, & morbus magnus est ex illis, qui absque dubio sanguinis missionem requirunt; ergo ratione potius plenitudinis quàm morbi magni est mittendus sanguis, ac proinde plenitudo est illa, quæ missionem sanguinis verè indicat.

Tertiò probatur Galeni auctoritate libro de sanguinis missione capite 6. vbi tradens sanguinis missionis indicantia plenitudinem

proponit, hocque pacto concludit; *vbi ergo extantibus plenitudinis signis valentes facultates fuerint, venam incides* &c. hinc in libro de venæ sectione aduersus Erasistratæos Capite 8. & 9. Erasistratum reprehendit, cum omissa in plenitudine sanguinis euacuatione, alijs vsus fuerit remedijs; similem habet sententiam in Libro vbi de plenitudine ex professo agit; item in 4. de tuenda valetudine capite 4. id ipsum docet: ex quibus patet plenitudinem sanguinis missionis verum esse indicans.

Morbus magnus est sãg. missionis indicans.

Secundæ opinionis Auctores sustinent sanguinis extractionis indicans morbum esse magnum, quæ sententia est præcipuè eorum, qui in febribus a sanguinis missione abhorrent; ad id probandum sic arguunt; morbus magnus remedium magnum requirit, sed sanguinis extractio est remedium magnum: ergo morbus magnus sanguinis indicat missionem. Confirmatur Hippocratis auctoritate 4. de ratione victus in morbis acutis textu 19. vbi hæc habet; *verum in acutis morbis venam secabis si vehemens appareat morbus* &c. & Galenus Libro de sanguinis missione Capite 9. ait; *Caterum primi principesque mittendi sanguinis scopi morbi magnitudo & laborantis robur* &c. idem pluribus alijs in locis repetit, præcipuè in 13. Methodi Medendi Capite 5. vbi morbi magnitudinem sanguinis euacuationis indicans esse asseuerat: & magis expressè in 4. Methodi capite 6. ita loquitur, *tametsi redundantis sanguinis concursus non adsit; ad ipsam tamen sanguinis missionem interdum sit confugiendum, si vehemens morbus sit cum virium robore* &c. ergo magnitudo morbi est illa, quæ missionis sanguinis verum est indicans.

Vtriusque Sententiæ insufficientia Demonstratur.

HÆ quidem sententiæ & si ex parte veræ existant, punctum nihilominus veritatis planè haud attingunt: & primò quod ad plenitudinem attinet, hæc non specialiter missionem sanguinis, sed generaliter euacuationem cuiuscumque materiæ indicat; hinc Hippocrates in 2. sectione aphorismo 12. hæc reliquit scripta: *quicumque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio, & quicumque ex euacuatione repletio, & aliorum contrarietas*, ergo plenitudo genericè euacuationem quamlibet, non autem specificè missionem sanguinis indicat; & propterea Galenus Libro de sanguinis missione Capite 8. & alibi multis demonstrat etiam citra plenitudinis notas sanguinem esse mittendum: quod forsitan ab Hippocrate didicit, qui in 5. Epidemiorum textu 2. secundum Marinelli Codicem in Oeniadis viro cuidam emaciato affectu quodam ventriculi

con-

conquerenti, alijs minimè conferentibus, venam vtriusque manus incidisse sanguinemque vsque ad animi deliquium euacuasse fatetur: idem ipse Galenus cuidam mulierculæ extenuatissimę in 6. Epidemiorum commento 3. textu 29 fecisse his testatur verbis; *at qui ego cuidam mulierculæ iam octo menses purgationis menstruæ suppressione laboranti, exteuuatissima cum esset, haud exiguo detracto sanguine, breuissimo tempore proprium habitum restitui* &c. & quod magis est locis supra citatis Libro scilicet de venæ sectione capite 8. & 4. Methodi Med. capite 6. postquam affirmauit non plenitudinem, sed morbi magnitudinem missienis sanguinis indicans esse, inquit quòd plenitudini etiam integra inędia, seu victus diminutione, balneo, exercitijs, frictionibus purgatione alijsque hujusmodi mederi possumus: & Auicennas x. 3. trac. 5. cap. 2 refert, solutionem ventris omni die factam à phlebotomia excusare. à primo ergo ad vltimum clarum remanet plenitudinem sufficiens missionis sanguinis indicans haud esse.

Alia quoq. prȩter Phlebot. plenitudinem soluunt.

Ex quibus etiam rationum pro illa sententia adductarum solutio satis patet: ad primam respondetur quòd euacuatio non duntaxat per sanguinis extractionem, sed, vt dictum est, alijs quoque ingenijs alui scilicet purgatione, exercitijs, balneo & similibus perficitur, & sic alia etiam euacuationi contrariantur: quare &c. Ad secundam respondemus, non semper morbum magnum talem propter plenitudinem esse: nam Causon verbi gratia, qui est morbus magnus, non semper à plenitudine fit: Hippocrates enim 4. de ratione victus in morbis acutis textu 1. aliam proponit causam, dum inquit, *Causus fit, cum venulæ tempore æstiuo exiccatæ acres ac bilioſas ichoras ad se traxerint.* hectica quoque est morbus magnus: attamen à plenitudine nequaquam gignitur, ergo propter plenitudinem morbus non est semper magnus: præter quam quòd morbus magnus, vt infra patebit, non semper sanguinis missionem sed aliquando purgationem indicat.

Primæ sententiæ rationes soluuntur.

Ad primam Galeni auctoritatem libro de Sanguinis missione Capite 6. respondemus ibidem Galeni mentem haud esse, id perpetuò obseruandum, quoniam in Capite 8. eiusdem libri expressè probat etiam citra plenitudinis inditia sanguinem tutò posse mitti: ergò intelligit plenitudinem sanguinis extractionem non semper indicare: Erasistratum autem venæ incisionem in plenitudine prætermittentem ac alia molientem remedia contemnit: quia ille quidem à sanguinis missione omninò abstinebat, ac extrema inædia, frictionibus, ligaturis, alijsque huiusmodi vtebatur præsidijs, quibus vel ægrum necabat, vel morbum valdè in longum protrahebat. Ex his etiam ad alia Galeni loca iam allata respon-

sio

sio patet; sequitur ergo quòd secundùm Galenum plenitudo perpetuum missionis sanguinis indicans haud quaquam potest esse.

Quod verò ad secundam spectat sententiam, eius insufficientia multis quidem patet: primò quia quod pluribus se opponit, ab vno indicari nequit: sed missio sanguinis multis occurrit vitijs; ergo ab vno solo haud indicatur.

Indicans missionis sã guinis nõ est morbus magnus.

Secundò missio sanguinis est remedij species, remedij species; morbi magnitudo est quantitas, sed quantitas quantitati, non speciei contrariatur; ergo magnitudo morbi vt quantitas missionem sanguinis tanquam speciem minimè indicat, aliter contrarietatis remediorum ordo peruerteretur; cum commune Medicinæ axioma sit, contraria contrarijs curari.

Tertiò, quia sanguinis detractio non est solum remedium magnum, sed etiam purgatio; ergo dum asseritur quod morbus magnus remedium magnum expostulat, non modò de sanguinis extractione, sed etiam de purgatione intelligendum est; ex magnitudine enim morbi communis oritur indicatio vtrique magno remedio conueniens eo modo quo Hippocrates in 1. sectione aphorismo 6. communem extremorum remediorum indicationem proponit, *extremis morbis extrema exquisitè remedia optima sunt*, proportionaliter itaque dicendum est, morbis magnis magna remedia optima sunt; quapropter tum venæ sectio tum purgatio communi indicatione à morbi magnitudine indicantur: hinc Galenus 4. Methodi Med. capite 6. morbi magnitudinem communem sanguinis missionis & purgationis indicatricem esse, his verbis confirmat; *nunc illud docere volo tum ipsam morbi siue vim, siue magnitudinem appellare velis, pro indicatrice quadam sanguinis detrahendi, vel purgationis exhibendæ, statuendum esse*, &c. non dissimilem sententiam habet in libro de sanguinis missione Capite 7. & in 4. de tuenda valetudine capite 4. explicans qualia sunt valentiora remedia, missionem sanguinis & purgationem proponit; ergo morbus magnus tum purgationem, tum sanguinis missionem indicat, ac proinde morbi magnitudo missionis sanguinis non est proprium ac perpetuum indicans.

Quartò supposita Galeni doctrina in 4. Methodi Med. capite 6. trifariam scilicet vitia ac morbos magnos reddi, nempè vel propter affectæ partis præstantiam, vel propter affectus magnitudinem, vel propterea quia sunt cacoethè, sequitur quòd etiam hectica, hydrops, & dolor colicus, sunt morbi magni, & in his possunt vires benè valere, nihilominus in talibus (præterquam in Anasarca ex mensium, aut hemorrhoidum suppressione proueniente, sic Galeno 4. acutorum textu 111. docente) minimè sanguis.

guis est extrahendus; ergo morbi magnitudo non semper missionem sanguinis expoſcit; è contra Galenus in 4. acutorum textu 19. in chronicis, qui haud magni morbi sunt, sanguinem esse detrahendum firmiter asseuerat.

Auctoritas autem Hippocratis iam aducta ex illo 4. acutorum nostras quidem assertiones haud subuertit; nam senex eo loco de acutis solùm peragens, quid ab illis indicetur, iuditium duntaxat fecit; per ea tamen verba alios morbos à missione sanguinis reijcere non est asserendum, quoniam alijs locis de morbis haud magnis pertractans venæ sectionem in ijsdem laudat, sicuti præcipuè facit in 2. de morbis textu 71. vbi pro curatione morbi nigri cum febre debili venæ sectionem commendat: & in 5. Epidemiorum textu 2. supra etiam indicato Iuueni cuidam corrugatione ventriculi laboranti sanguinem vsque ad animi deliquium extraxit: item in 2. Epidemiorum textu 5. in capitis vlcere absque febre internas venas secandas esse iubet; & sic alijs in locis in morbis non acutis, ac magnis sanguinis extractionem allaudat; quapropter Hippocratis mentem haud fuisse morbis magnis solummodo sanguinis missionem conuenire, reuera fatendum est. Ex quibus ad Galeni auctoritates supra alatas responsio etiam patet; nam, vt antea quoque assertum est, Galeni animus haud est morbi magnitudinem semper missionem sanguinis, sed etiam purgationem indicare: præterea ipse etiam in morbis paruis ac longis, vt in innumeris eius locis vnusquisque tueri potest, sanguinem detrahit: ergo verisimile haud est, Galenum à morbi magnitudine missionem sanguinis semper indicari, sustinuisse. Ex his omnibus neminem latet nec solam plenitudinem, nec solam morbi magnitudinem missionis sanguinis verum ac perpetuum indicans existere.

Tertia proponitur sententia substans verum missionis sanguinis indicans, esse ipsius vitium.

PRæsens sententia iam explicatis quidem præstat: hanc vt veram ac solam sufficientem haud pauci hodierna luce amplectuntur, & profectò illud certum sanguinis missionis indicans esse, asseuerandum, quod naturæ semper infestum ac inutile existit; sed vitium sanguinis huiusmodi est, ergo tale sufficiens ac perenne sanguinis detractionis indicans censendum est.

Pro vitio autem sanguinis quatuor intelligere oportet, substantiam scilicet, vitiatam, quantitatem superfluam, prauam qualitatem, ac motum præternaturalem. Et quidem si sanguis in substantia vitiosus, nempè si putridus sit, sui ipsius euacuationem requirit,

rit, vt illa euacuetnr putredo, quia à priuatione ad habitum non datur regreſſus, Auctore philoſopho in Libro de prædicamentis capite de oppoſitis.

Nec obſtat quod Galenus in xi. Methodi Med. Capite x. in putredinis curatione ſanguinis euacuationis haud meminit, ſed pharmaceutica duntaxat propoſuit remedia: quoniam eo loco tale auxilium, pro putredinis eradicatione neceſſarium ſupponit, cum in 9. Methodi Capite x. aſſeruerit, quod affectus corruptelæ vel vena inciſa, vel purgatione euacuandus eſt: alia verò remedia in xi. Methodi recitat, cum eorum nullam antea, in 9. ſcilicet libro, mentionem fecerit.

Si autem ſanguinis vitium in quantitate ſitum ſit, depletionem ſui dictat, vt quod ſuperuacaneum ſit, depleatur: Si verò qualitate peccet, extractione ipſius ea praua qualitas corrigenda eſt. Tandem ſi proprius ac debitus eius motus non ſeruetur, ſanguinis miſſio itidem indicatur, vt impetus eius coerceatur, ac ad priſtinum reducatur locum.

Quatuor ex Gal. ſunt sãguinis vitia

Hæc doctrina ex Galeno libro 9. Methodi Med capite xi. depromitur, vbi ſic loquitur; *memineris verò mihi ad ea quæ dicenda ſunt, etiam quorum cauſa vena ſectio petitur: nam hæc ſanguinis vacuandi cauſa adhibetur, ſanguis autem inutilis naturæ eſt, vtique probè hanc adminiſtrari conueniet ſic, vt quod inutile naturæ ſit, emittat; ſit autem ſanguis naturæ inutilis bifariam, vel cum propriam qualitatem ad vnguem non ſeruat, nec amplius nutrire ſicuti prius cum vtilis eſſet, poteſt vel ita mũltitudine creuit, vt aut vires premat, aut tum venas tum arterias vel diſtendat, vel ſcindat, vel obſtruat; ac in his quidem miſſo ſanguinis vtilis eſt, ceu vacuantium præſidiorum vna; in alijs ceu quorum vehementiorem impetum ad diuerſam partem reuocet, vel per propinqua deriuet.* &c. in quibus profecto verbis quadruplex ſanguinis vitium, à nobis præpoſitum, continetur. Etenim in illis verbis, *cum propriam qualitatem ad vnguem non ſeruat*, &c. non modò vitiatam qualitatem, ſanguinem ſcilicet magis calidum, vel humidum, vel alia praua qualitate infectum, intelligit; ſed etiam ipſius malam ſubſtantiam, ſanguinem nempe putrefactum, includit, quod ex ſubſequentibus verbis patet, *nec amplius nutrire, ſicuti prius, cum vtilis eſſet poteſt*, ſicuti enim ſanguis in qualitatum exceſſu peccans: ita in ſubſtantia, hoc eſt ſi putridus ſit, inutilis ac ineptus ad corporis nutritionem exiſtit. Quantitas vitiata ſub illis verbis includitur, *vel ita multitudine creuit*, &c. Motus verò præter naturam proponitur ibi, *in alijs ceu quorum vehementiorem impetum ad diuerſam partem reuocet, vel per prtpinqua deriuet*; &c. hæc ergo ſententia tota eſt Galeni menti conſona; ac

proinde

proinde in propatulo est, vitium sanguinis, quatenus quatuor à nobis iam explanata sub se continet, proprium ac perpetuum missionis sanguinis indicans existere, & hæc de indicante satis. nunc pergimus demonstrè.

Quodnam sit missionis sanguinis Permittens.

QVod ad hoc attinet, in ea sumus opinione quòd nihil aliud sit, quàm vitium robur. hoc Hippocrates in 4. acutorum 19. proponit; Galenus in x1. Methodi Medendi capite 15. tradita regula de sanguinis euacuatione subdit, *vbi præsertim nec vires, nec ætas probibent*; idem libro de sanguinis missione capite 6. alijsque locis præstat. Eandem sententiam Paulus Ægineta libro 2. capite 18. Ætius libro 5. capite 74. Auicennas 1. 4. tractatu 2. capite 7. omnes ad summum Medicinæ Scriptores habent, quòd scilicet missionis sanguinis permittens vitium robur existit.

Vires sunt sanguinis missionis permittens.

Vires autem triplicis generis sunt, animales, naturales, & vitales vt ex Galeno colligitur 2. de ratione victus in acutis textu 47. 9. Methodi Med. capite x. & primo ad Glauconem capite 14. in fine. Animales etiamsi rectè non constent; missionem sanguinis nihilominus non prohibent; nam in Apoplexia, Læthargo, Epilepsia, & similibus affectibus in quibus facultas languet animalis cum felicitate sanguinem solemus mittere; hæ enim vires cum ex spiritu vitali, & aere per nares attracto, ex Galeno 1. de facultatibus naturalibus capite 12. ortum habeant, valida facultate vitali existente citò regenerari, ac resici possunt; & ideò tales sanguinis detractionem minimè contra indicant. Propterea vires vitales, & naturales, dum benè valent, missionis sanguinis sunt proprium permittens. De facultate vitali patet; nam hæc omnes corporis facultates fouet ac reficit; hinc elapsa hac omnes quidem elabuntur. De naturali etiam clarum est: quia hæc cordi sanguinem ad spirituum vitalium generationem suppeditat, membrorum nutritioni, alimentorum concoctioni, ac materiæ noxiæ expulsioni inseruit: quare ne vigor ipsius diminuatur, seu extinguatur ingenium adhibendum est. Quapropter his haud rectè constantibus sanguinis euacuatio non est celebranda.

Istæ vires in triplici consistunt subiecto, nempè in solida substantia, spirituosa, & humorosa. Modò si vires quoad substantiam tantùm solidam desint, missio sanguinis haud prohibetur: quoniam licet corpus emaciatum sit; humores tamen & spiritus in sufficienti quantitate existere possunt; ideò sanguis tutò extrahendus est. hinc Galenus 6. Epid. com. 3. textu 29. iam etiam citato

extenuatissimæ mulierculæ copiosum sanguinem cum fausto successu extraxit. idem Hippocrates in 5. Epid. supra etiam indicato in casu illius Iuuenis emaciati præstitit. Itaque vires quòad substantiam humorosam ac spirituosam in sanguinis euacuatione spectandæ sunt. Hæ (excepto suffocationis casu) si valentes non sint, à sanguinis depletione expedit desistere; nam ablato spirituosæ, & humorosæ substantiæ fundamento, tota corporis moles destruitur: verùm si per suffocationem langueant, sanguinis detractionem non vetant: quia non per se, sed per accidens ea existit imbecillitas: hinc sanguine extracto à violentia ac pondere humorum qui eas opprimebant ac suffocabant liberatæ citò refocilantur: tales ergo vires missionis sanguinis certum ac adæquatum permittens existimandæ sunt.

Præter vires Hippocrates in illo 4. acutorum, alijque Auctores supra citati, ætatem quoque proponunt. verùm ætas sub virium nomine comprehenditur: quod Galenus expressè libro de sanguinis missione capite 9. testatur, vbi ait; *verùm Senum ætas in virium verbo comprehendi potest*, &c. ideò enim ætas senilis, vel puerilis sanguinis euacuationem interdicit: quia valentes in ea haud existunt vires: at si contingat senem robustum, vel puerum viuidum, ac sanguinis copia plenum esse, tuto eos phlebotomare possumus. hoc nos Galenus libro de sanguinis missione capite 13 his verbis docet. *itaque non numero annorum solum modò animum aduertes, quod quidam faciunt, sed & corporis habitui; nam sunt qui sexagesimo ætatis anno venæ sectionem non ferant, cum quidam, qui septuaginta nati sunt anno, perferant*, &c. Cornelius Celsus Libro 2. de re Medica Capite x. à Galeni sententia vt sequitur loquens minimè dissentit; *interest enim non quæ ætas sit, neque quid in corpore intus geratur, sed quæ vires sint. ergo si iuuenis imbellis est, aut mulier, quæ grauida non est, parùm valet, malè sanguis emittitur; emoritur enim uis si quæ supererat, hoc modo erepta est. at firmus puer, & robustus senex, & grauida mulier valens tutò curantur.* ex qua aurea sanè opinione viri edocti etiam in tenella, decrepitaque ætate, dum modò vires bene valeant mittere sanguinem haud formidant. nos ipsi in hisce ætatibus pluries missionem sanguinis proficuam experti sumus. quapropter vires pro sanguinis missionis permittens solum modò statuendæ sunt.

Non est tutum ætatẽ semper in missione sãguinis respicere.

Aurea Celsi opinio.

Præter ætatem multa alia Galenus in 1. ad Glauconem 14. libro de sanguinis missione capite 9. & 13. atque alibi proponit, præsertim tempus vel frigidum, vel æstuosum, consuetudinem, neruorum distensionem, cardialgiam, aluum fluidam, & similia. Hippocrates quoque in 4. aphorismorum v. dies Caniculares, possit,

dum

dum ait: *sub cane, & ante canem difficiles sunt medicationes*. item in 5. sec. aphorismo 31. gestationem Vteri proponit, inquiens, *mulieri Vtero gerenti si vena secetur abortit, præcipuè si fœtus sit grandior*. nunc singula perpendenda sunt.

Quod ad tempus calidum vel frigidum spectat, non absolutè sanguinis detractionem interdicit, sed ipsam differendam (si morbus non vrgeat) vel in minori quantitate quàm in alio casu sanguinem euacuari, dictat: ideò enim Galenus loco citato ait, ęgrotos tali tempore huiusmodi euacuationem perferre non posse, vt Medicum cautum reddat se profectò sanguinis detractioni haud accingi, nisi vrgente necessitate, eoque casu parciùs, quàm alijs temporibus, sanguinem mittere: & hęc etiam est Hippocratis opinio loco proximè indicato: dicit enim quòd difficiles sunt sub cane, & ante canem medicationes, non tamen impossibiles, vt nos quidem doceat, impellente duntaxat morbo, & in minori quantitate quàm alijs temporibus, sanguinem tunc esse mittendum. Quod ad cętera enarrata contra indicantia attinet, ea sanè omnia non remedij speciem, sed quantitatem contra indicant: ideò enim Hippocrates aphorismo notato asserit, abortum sequi si pręgnanti vena secetur: quia supponit tantum sanguinis in pręgnantis corpore haud manere, ad hoc vt sufficienter fœtus nutriri possit: quod ex illis verbis elicitur, *pręcipuè si fœtus sit grandior*, quia quò maior est fœtus, tantò magis pluri ęget alimento: vnde quando in pauca educitur quantitate, ita vt tantum intus remaneat quantum ad fœtus sufficiat nutritionem, tunc sanè sanguis tutò educi potest, ne mater ob morbi vim periclitetur. Idem de alijs prępositis asserendum est: vel enim quantitatem contra indicant; vel mittendi sanguinis tempus, hoc est vt missio sanguinis per aliquod differatur tempus, coindicant; quando enim ob febris vehementiam necesse est corpus à molesto sanguinis peccantis pondere leuare, tunc ob symptomatis grauedinem illi coniuncti per vnam, vel alterā diem talem operationem differre satis est, vt illius symptomatis vis interim compescatur: vel si temporis dilatio periculum afferat, in eo casu sanguis parciùs, quàm par sit, saltem educatur, ita vt melius sit ob sanguinis eductionem aliquo ęgroto esse incommodo, quàm remedium tanti momenti relinquère; maius enim emolumentum est, quàm damnum à tali pręsidio emergens. Hęc Galenus in libro de sanguinis missione capite 9. & alibi nos docet; ibi enim varijs missionis sanguinis scopis traditis, subdit: *ad alia antedicta mittendi sanguinis indicia, quæ non pauci Medici adijcienda censuerunt, nunc accedamus, coindicant autem hæc detractionis quantitatem non ipsam sanguinis detractionem*, per indi-

tia, contraindicantia iam proposita, intelligit; quæ partim supra in alijs capitibus proposuit, partim in calce ipsius capitis 9. proponit: itaque omnia iam enumerata non remedij spetiem, vt ostensum est, hoc est non missionem sanguinis mittendi quantitatem, vel hoc, aut illud in mittendo sanguine tempus contraindicant.

CONCLVSIO.

Quòd vnicum est missionis Sanguinis permittens, Vires scilicet, cætera verò sub his continentur.

NOs propterea iure meritò existimamus virium robur duntaxat certum ac proprium sanguinis detrahendi permittens reuera existere, ceteraque omnia sub virium nomine contineri; nam ideò tempus calidum verbi gratia, vel aliud ex enumeratis sanguinis effusionem contraindicat; quia vires aut præsentes, aut futuræ non benè se habent; ergo quemadmodum ætas ex Galeno, & Cornelio Celso loco supra indicatis sub virium verbo continetur: sic quoque cætera cuncta enarrata contra indicantia sub eodem comprehendi quidem possunt; id enim quod interdicunt ratione virium est; vires itaque sunt illæ quæ solum sanguinis euacuationem vel permittunt, vel contraindicant. hæc sint satis, quæ vt puri Medici contemplari tenebamur: Verùm quia hac tempestate aliqui dum de hac peragitur materia ad astra confugiunt: propterea quid ab istis in re tam necessaria iudicatur hic describere haud superuacaneum ac indignum esse arbitramur.

ASTROLOGORVM OPINIO.

Circa Sanguinis missionis indicans ac permittens.

ASTrorum Scrutatores varia ab enarratis contraindicantia considerant; asserunt enim quòd si Luna signum ♊, vel ♌ permeat cum vnum brachijs, alterum cordi dominetur, non est phlebotomandum. sic in coniunctione Solis cum Luna missionem sanguinis per duos dies ante & post oportet relinquere. præterea in coniunctione Lunæ cum Saturno, Marte, Capite Draconis, ac Cauda Draconis, die ante & post, sanguinis detractio prohibetur. Hos atque alios multos ac varios aspectus ac configurationes Planetarum, ac Zodiaci signorum proponunt, quæquidem per diem vnum aut alterum sanguinis detractionem vetant: hocque præsertim addunt quòd numquã ferro membrum aliquod est tangendum,

dum, cui signum illud dominatur quod Luna eo tempore permeat, verbi gratia si Luna sit in signo Piscis, vocato, quod pedibus prædominatur, Saphena aut altera pedis vena non est incidenda, seu pedes minimè sunt scarificandi. Hæc in Medicina pro recta sanguinis missionis administratione esse obseruanda constanter sustinent: hinc quosdam huius sæculi Medicos acriter arguunt, cum nullo ad stellarum, ac planetarum habito respectu, qualibet hora ac die sanguinem extrahunt; & propterea eorum operationes felices haud succedunt.

Contra Astrologos varij insurgunt Auctores, hæcque eorum præcepta vt irrita, ac deliramenta existimant; cum corpora cœlestia præter lumen, & motum in hæc inferiora alio modo non agant, quæ cum sint manifesta in agendo, in Medicina scientia certa, & perspicua non oportet ad alia obscura, incerta, ac immaginaria recurrere; pro opportuno enim ac debito sanguinis detractionis munere sufficit aeris temperiem, à lumine, atque motu corporum Cœlestium alterari solitam, respicere; cętera verò vt vana, ac fictitia dimittenda sunt. *Hæc opinio reijcitur.*

Verùm vt ingenuè loquamur astrorum aspectus aliquid in Medicina, in missione sanguinis præsertim, coindicare, non absque ratione opinamur; Corpora enim Cœlestia præter motum & lumen in hanc tum magni Mundi tum Microcosmi sublunarem molem occultis virtutibus, in perceptibilibus scilicet influentijs agunt; Hoc Ioannes Cottunius Verienſis eximius Antenoreæ Vrbis Philosophus Primus, vir solidæ doctrinæ professor, præcipuũ Græciæ lumen verę ac abstrusæ Aristotelis mentis ex Codice Gręco inuentor, ac explanator, alter sanè Aristoteles, si quidem plurima eaque intima naturę arcana, pluribus ignota, à plurimisque varijs explanationum ambagibus inuoluta, reperijt, singulari ingenij perspicacitate expoliuit, multiplici eruditionis serie explanauit, ac omnium applausu luci edidit, vt passim in tot operibus suis tueri licet; hoc inquam, Cottunius tum in opere de Meteoris lectione 8. & sequentibus, tum in opusculo de Mundi Sphera capite 9. multis Philosophorum, Poetarum, Sanctorumque Patrum auctoritatibus, varijs rationibus, & oculatis experimentis demonstrat, ac comprobat, vt nos aliquid adijcere superuacaneum sit. Si ergo Cœlestia sydera ac Planetę efficaci fluxuum vi in nostra per agant corpora, eaque vario afficiant modo, nunc rectam, nunc aduersam inducendo valetudinem, vt ex Philosopho in Problem. sect. 5. quęst. 3. habetur, cuius verba sunt hęc, *quorundam syderum ortus, non motus, efficere temporum mutationes, imbres, serenitates, calores, frigora, flatus, quinimo morbos ipsos intendere, remittere, iudicare,* *Cottunij opinio de influentijs.*

dicare, &c. sequitur profectò quòd in recto ipsorum corporum regimine, ac medicatione eorundem syderum, ac planetarum aspectus respiciendi sunt; cuius rei argumento sunt illi, quibus pro tuenda solum valetudine absq; quòd vllo prius laborarent morbo cum sanguis detractus sit nulla ad astrorum configurationes præmeditatione habita, in morbum quidem illapsi sunt, ob quem tandem vitam miserè amiserunt. iccircò Diuinus senex libro de aere, & aquis textu 30. & Galenus libro 3. de diebus decretorijs astrorum in Medendo inspectionem perutilem esse præcipiunt; hæc sunt Hippocratis verba, *oportet autem & astrorum exortus considerare*, &c. & paulò post addit, *morbi enim in his maximè diebus iudicantur, alijque perimunt, alij verò desinunt, aut in aliam speciem transmutantur*, ex quibus huiusmodi astrorum considerationis vtilitas in missione sanguinis satis euidens est.

Vtilis in missione sãguinis astrorũ obseruatio.

Verùm enim verò & si huiusmodi Cœlestium corporum obseruatio congrua ac necessaria in Medicina sit; nihilominus tuta semper ac vtilis haud existit. optima quidem erit dum morbus dat inducias, ita vt per aliquot dies sanguinis detractio differri possit; pernitiosa verò si morbus acutus sit & vrgeat, in quo quidem casu non est sanguinis detractio differenda; quod conceptis verbis Hippocratis 4. sectione aph. x. præcipit; *medicari in valdè acutis, si materia urget, eadem die? ardare enim in talibus malum est*, itaque in tali casu maleficorum aspectus transire haud expectandum, sed ne occasio fugiat ad detrahendum sanguinem properare oportet; quoniam plus causa proxima vrgendo iudicat, quàm remota coindicet. Ex quibus concludimus quòd astrorum aspectus non immediatè ac propriè missionem sanguinis, sed hoc vel illud mittendi sanguinis tempus coindicant, aut contraindicant.

Non tuta semper est in missione sãguinis astrorum inspectio.

CAPVT QVINTVM.

Demonstratur in febribus non tamen in omnibus conuenientissimam sanguinis detractionem esse.

INter iam explicatas sententias media est, quæ statuit in febribus non in omnibus congruam, ac perutilem sanguinis missionem perpetuò existere; quam quidem sententiam cuncti tum Veteres, tum etiam recentiores Medicinæ Scriptores, præter iam indicatos ἀιμορῤῥόους, amplexati sunt. Hanc ergo & nos amplectimur, Galenique placitis, ac Auicennæ Galeni ipsius sequacis, necnon rationi valdè consonam esse, pro virium ingenij tenuitate, vt sequi-

tur

tur, demonstramus.

Calor febrilis vel in solida substantia, seu spirituosa, aut humorosa, cum vel sine putredine accenditur: si in solida, ex Galeno x. Methodi Med. capite 5. 1. de differentijs febrium capite 8. & alibi, & Auicenna 1. 4. tractatu 3. capite 1. febris hectica oritur.

Si in spirituosa, ex ipso Galeno libris indicatis, & Auicenna citato libro tract. 1. capite 5. ephemera gignitur. tales autem febres sanguinis euacuationē nequaquā expostulāt; & ratio est, quia vitiū sang. deest, quod sēper sanguinis euacuationē, vt demōstratum est, indicat; morbus enim solidæ, ac spirituosæ subijcitur substātiæ; præterea permittens, hoc est vitiū robur, in hectica nō adest; hinc Galenus missionem sanguinis in hecticę & ephemerę curatione concuit; & Auicenna libro indicato capite 9. in fine, vbi de ephemerę cura agit, dicit: *euacuatione autem non indiget aliquis eorum*, in hisce propterea febribus sanguinis depletio derelinquenda est.

Ephemere, & hectice sāguinis missionon conuenit.

Si verò fomes febrilis sine putredine humores intus in venis existentes, sanguinem præsertim, obsideat ephęmera plurium dierum, hoc est synocha sine putredine, producitur. de qua Auicenna Libro proximè citato tract. 1. capite 33. & Galenus libro 9. Methodi Med. capite 2. & 3. & alibi agunt, hæc quidem febris ex illis est, quæ sanguinis exposcunt eductionem, & Auicenna loco indicato asserit, & Galenus libro 9. Methodi capite 5. vbi pro curatione tum putridæ tum imputris synochæ duo præsidia, sanguinis scilicet missionem, & aquæ frigidæ potionem peculiariter proponit: ratio autem est, quia adest vitium sanguinis in mala qualitate, excessu scilicet caloris positum, quod sanguinis effusionem indicat, viriumque robur, quod eandem permittit, præsens potest esse: ergo si ęger huiusmodi laboret febre haud absque securo vitæ emolumento ipsi sanguis euacuari potest.

Synoch. cū vel sine putredine sanguinis miss. cōuenit.

Si autem cum putredine talis calor in humoribus existat, variæ pro humorum varietate gignuntur febres, nunc exquisitæ, nunc spuriæ, modò continuæ, modò intermittentes, pro humorum scilicet synceritate, aut vnius cum altero commixtione, ac pro vt intus, vel extra venas humor peccet. Si in solo puro, ac simplici humore caloris febrilis incendium, idque extra venas reperiatur, nempè bilioso, vel pituitoso, seu melancolico, exquisitæ febres intermittentes, tertiana scilicet, quotidiana, aut quartana, generantur, quibus profectò sanguinis eductio minimè competit: quoniam quamuis permittens possit adesse, deest tamen indicans, quod sanguinis vitium est: cum enim in solo synceroque humore extra venas existente putredo sit, nullum in sanguine vitium potest esse: &

Exquisitis febrib. intermittētibus sanguinis missio haud conuenit.

pro-

propterea Galenus in tertianæ exquisitæ curatione in 1. ad Glauconem capite 9. sanguinis missionis haud meminit: idem Paulus Ægineta libro 2. de re Medica capite x. Ætius capite 78. Celsus libro 3. capite 14. atque alij auctores in tertianis exquisitis præstant: etenim si in tali febre sanguis extrahatur, sequitur id, quod Auicenna in 1. 4. trac. 2. capite 7. conceptis verbis vitandum commonet; *tunc phlebotomia est magis conueniens, & propriè quando vrina est rubra crassa, non citrina ignea, ex qua timeatur apud phlebotomiam, victoria choleræ & acuitas eius.* & hoc est quod alibi præcepit, *summopere tibi caue ne ægrum deducas ad humorum bilioforum ebullitionem*, hanc etiam ob causam in aliarum exquisitarum intermittentium febrium cura ijdem indicati auctores citatis iam libris missionem sanguinis reticuerunt, præsertim ne in foueam illam aliquis incidat, à qua fugiendum Auicennas ipse 1. 4. his verbis animaduertit; *summopere tibi caue ne ægrum deducas ad humorum frigidiorum cruditatem*, quapropter exquisitis ac syncerís febribus intermittentibus nullo pacto sanguinis euacuatio competit.

Febrib. spurijs sanguinis detractio cõfert.

Si autem calor ille putredinosus non in vno, sed in multis naturæ diuersæ, & heterogeneæ humoribus extra venas accensus fit, tunc nothæ febres intermittentes producuntur: & his sanguinis missio conueniens est: cuius rei talis est ratio: nam cum huiusmodi febres à variorum humerum inter se permixtione oriantur, aliquod sanguinis vitium aut in qualitate, aut in substantia, seu quantitate, vel motu, nunc plus, minusue minimè quidem deerit: & quamuis vitium illud in facto esse haud sit, cum humores extra venas peccent, sanguisque extrauenatus non amplius est sanguis, sed aliam sortitur naturam; nihilominus in fieri potest esse: quia intus in venis paratus, ac dispositus est, vt aliquod contrahat vitium: ex quo fit, vt vno desiente paroxysmo, è venis ad extra venas alia heterogenea suppeditata materia eaque inde accensa, & putrefacta, alius incipit paroxysmus: aliquo ergo sanguinis vitio nisi principaliter, saltem secundario in his febribus supposito perutilem sanguinis euacuationem esse haud ambigendum, quoniam, vt iam probauimus, sanguinis vitium quodcumque illud sit sui detractionem semper indicat: hinc Galenus 1. ad Glauconem Capite x. in cura tertianę spuriæ sanguinis missionem, vti in exquisitis fecit, proponere haud prætermisit, & Auicennas 1. 4. trac. 2. capite 58. supponens in febre phlegmatica aliquod sanguinis peccantis subdominium adesse, his verbis phlebotomiam commendat, *& quoties videris vrinam crassiorem & rubicundiorem, non erit malum si phlebotomaueris*, quod alibi vbi sanguinis vitium vllum haud

sup-

suppoſuit, minimè præſtitit, ne æger ad frigidiorum humorum cruditatem perducatur; ſic Paulus Ægineta libro 2. capite 23. & Aetius capite 63. præcipiunt, ſanguinem in quartana haud eſſe euacuandum, niſi is niger ſuperabundans atque craſſus ſit, quaſi dicerent, ſi quartana pura ſit, ita vt ſanguinis peccantis aliquod inditium non appareat, non eſt mittendus ſanguis: at ſi notha quartana ipſa ſit, ſigno vitij ſanguinis aliquo apparente, nempe ſanguine copioſo, craſſo, ac nigro exiſtente, tutò eſt extrahendus; hæc ſunt eorum verba, *nullum medicamen aut euacuationem exhibendam, niſi ſanguis vehementer ſuperabundans appareat, & ſi vena inciſa is qui fluit niger videatur ac craßus audacius mittendus eſt, quòd ſi flauus aut tenuis apparuerit, ſtatim ſupprimendus.* Eiuſdem ſententiæ Galenus ipſe libro 1. ad Glauconem capite xi. Auicenna Libro iam citato tract 2. Capite 61. & Halyabas 3. pract. 14. exiſtunt: ſicuti ergo in exquiſitis febribus ſanguinis euacuatio damnoſa; ſic in ſpurijs conueniens ac opportuna exiſtimanda eſt.

Si verò calor febrilis cum putredine in venis exiſtat, iſque in ſanguine, ſimplex febris ſanguinea ſeu ſynocha putrida producitur, auctore Auicenna 1. 4. tract. 2. capite 44. & Paulo Ægineta libro 2. de re Medica Capite 26. cui nulli dubium eſt, vberrimam ſanguinis detractionem ſatis decentem eſſe, vt ex proximè indicatis auctoribus, & Galeno 9. Methodi Med. Capite 5. atque Aetio Libro 5. cap. 70. patet; ſanguis enim principaliter vitiatus eſt, ergo ſui euacuationem dictat: non oportet namque intus in corpore retinere quod morboſum, ac vitiatum exiſtit, cum ad nutritionem ineptiſſimum ſit, cęteroſque humores optimos facilè coinquinet, & propterea ne huiuſmodi ſequatur nocumentum, nempe ne cęteros coafficiat humores, expedit vt extra corpus inciſa vena educatur.

In cõtinuis continentibus decens eſt ſanguinis detractio.

Si autem putredo in alijs humoribus ſit, diuerſæ pro diuerſorum humorum natura febres continuæ gignuntur; quibus omnibus ſanguinis euacuatio neceſſaria eſt; nam cum humor in venis peccet, arduum eſt arcere, vt ſanguis à putredine vel ſaltem calefactione extranea immunis maneat; Galenus enim in 2. de differentijs febrium capite vltimo experientiaque ipſa ſimul docent, quòd putridum non putridum tangens, difficile eſt, vt ipſum non coinquinet. Cum ergo putredo in venis bilioſum verbi gratia occupet hùmorem, nequit fieri quin ſanguis (cum ipſi contiguus ſit) aliquo pacto coafficiatur, & per conſequens in omnibus continuis aliquod ſanguinis vitiũ poteſt eſſe; quapropter hę quoq; ſanguinis euacuationem efflagitant; & propterea Galenus 1. ad Glauconem capite 13. in febribus continuis ſanguinem detrahendum

esse præcipit, quod etiam alij auctores factitant, Auicenna præcipuè (cui Celsus Libro 3. Capite 7. consentit) 1. 4. tract. 2. etiam in causonide, & pestilentijs à phlebotomia non abstinet; in febribus ergo continuis vtilissimum est sanguinem educere.

Notabile Galeni præceptum circa sanguinis missionem.

Hæc in febribus sanguinis missionis proposita à nobis partitio, ac determinatio doctrinæ vniuersali Galeni in 4. de tuenda valetudine Capite 4. tradit adamussim correspondet; ibi enim sermonem faciens quando sanguis euacuari debet, hæc scribit. *quorum, hoc est humorum, alij paululum, alij plus, alij plurimum à sanguine receßerunt, vbi paululum vel citra sanguinem restitutum, vel vltra proceßum est; vbi plus consideratius agendum; vbi plurimum in his nullus omninò mittendus est.* Modò in febribus continuis vbi vel sanguis ipse solus peccat, vt in continuis continentibus, vel alij humores si peccent, paululum ab eodem sanguine recedunt, absque vlla cunctatione sanguis euacuandus est, cum ipsius vitium præsens sit, quod hanc dictat operationem. In intermittentibus verò spurijs humores peccantes plus à sanguinis forma distant; ideò in his non nisi cum præmeditatione sanguis est extrahendus: cuius præcepti Galenus ipse haud oblitus in 1. ad Glauconem in tertianæ spuriæ cura sic locutus est; *quòd si sanguinem mittere oporteat, neque hoc quoque omittendum*, eccè quòd non ita liberè, ac promptè, vt in continuis factitat, talia circa hanc rem profert verba, quasi horum verborum vi vellet significare quod cum in tali febre humores peccantes plus à sanguinis natura recedant: propterea cum cautione, nec sic promptè sanguis est educendus. Postremò si plurimùm humores illi à sanguine recedant, minimè sanguis est euacuandus, & propterea in exquisitis febribus in qnibus humores plurimùm à sanguine alieni sunt, iam diximus sanguinem haud esse mittendum: quod sanè tum Galenus tum alij propositi Auctores citatis iam locis asseueranter iubent.

Ex his itaque patet quòd hæc nostra circa sanguinis detractionem in febribus asserta sunt tanquam riuuli ab vberrimo Galenicæ doctrinæ fonte scaturientes, ac proinde prælucidum etiam remanet quòd in febribus ipsis expedit sanguinem educere, non tamen in omnibus, sed in ijs, in quibus aliquod sanguinis vitium existit.

Nec huiusmodi nostræ assertiones Galeni præcepto in x1. Methodi Med. Capite 15. contrariantur, in cuius principio ait, *omnibus qui febricitant, si valentes viribus sint, ab initio sanguinem mittes*, & in medio eiusdem capitis subiungit, *in omnibus febribus putridis saluberrimum est mittere sanguinem* &c. quasi quòd ob illud verbum, *omnibus*, bis, in principio scilicet capitis, & in medio eiusdem repetitum, nullam à missione sanguinis excludat febrem,

non

non sunt, inquam, contra Galenum; quia ipse vniuersales, ac amplas consueuit proponere regulas, quas inde distinxit, ac coarctauit, sicuti in præsenti casu fecit: illa namque tradita de sanguinis missione in febribus regula, postea abeadem varia prohibentia ac contraindicantia sanguinis missionem excepit, & inter alia vires imbecilles, ætatem senilem, ac puerilem, alibi cacochymiam, alibi inclementes aeris intemperantias, & alibi alia, quæ omnia supra fusè dilucidauimus; per hæc autem febres illas, in quibus nos iam probauimus sanguinis missionem maleficam esse, à prædicta regula implicite excludit. Itaque iuxta Galeni ipsius dogmata varijs locis tradita verus tum primæ, tum etiam secundæ regulæ iam indicatæ sensus talis potest esse, *in omnibus febribus*, &c. hoc est, in illis omnibus, in quibus adest indicans & permittens, saluberrimum est sanguinem educere; sed in exquisitis febribus intermittentibus, ac in ephemeris ex simplici spirituum accensione prouenientibus non adest indicans, in hecticis verò nec indicans nec permittens adest, ergo damnosa quidem in his febribus sanguinis missio existit: è contra in continentibus, continuis, ac spurijs intermittentibus in quibus sunguinis missionis indicans, & permittens semper adsunt, vtilissima est eiusdem sanguinis detractio. Quapropter ab illa sanguinis missionis generali regula quasdam excludere febres, quasdam verò non Galeni præceptis nullo pacto aduersamur, quinimo ijsdem vndequaque adæquamur, ac per consequens vera est nostra propositio, quòd in febribus, non tamen in omnibus congrua, ac optima sanguinis existit euacuatio. Suppositis itaque duobus illis requisitis, nempè indicante, & permittente præsentibus, tuto sanguis est extrahendus; cuius operationis præstantia ac necessitas duplici medio adhuc demonstratur, quorum primum est.

Quomodo intelligenda sit Galeni propositio in x1. *Met. capit.* 15. *tradita.*

Illud remedium in Medicina, in febris præcipuè eradicatione est necessarium, quod præcipuè ipsius indicationibus satisfacere valet, sed sanguinis missio huiusmodi est, ergo talis in febribus curandis necessaria est. propositio minor probatur, præcipuæ febris indicationes ex Gal. 1. sect. aphor. 24. 8. & x. Methodi Med. vtrobique cap. 1. & x1. Methodi capite 4. & x1. & Auicenna 1. 4. trac. 2. capite 7. sunt hæ, febris cum calida & sicca sit, refrigerantibus & humectantibus indiget, materia iam faciens vel inde factura febrem quatenus est vitiata, nempè prout est valdè calida, aut exuberans, seu putrida actu, vel potentia, sui correctionem per contraria indicat, *sic* pro vt corporis meatus obstruit, de obstruentia dictat; *sed missio* sanguinis his omnibus satisfacit; nam sanguine extracto *corpus* refrigeratur & humectatur calore scilicet nativo ventilato, morboso-

que diminuto, atque materia illa febrilis si superabundet, exube-rantia illa vel imminuitur, vel prorsus depletur, si putrida actu sit; eadem depletione putredo illa euacuatur, si in via sit vt putrefiat, vel si valdè calida sit, & putrefactio vetatur, & caliditas corrigitur, ac tandem per eandem euacuationem meatus corporis infarcti re-ferantur; ergo sanguinis detractio febris indicationibus satisface-re valet. Hinc Galenus XI. Methodi Med. capite 4. citato traditis febrium continentium indicationibus in fine his verbis suadet à sanguinis missione esse inchoandum; *in huiusmodi autem causarum complexu si rectè quæ prius comprehensa sunt meminimus cepisse à sanguinis euacuatione conueniet.* & Alexander Trallianus libro 12. postquam in febribus venam esse secandam præceperit, huius præ-cepti rationem reddens addidit; *nam perspiratu discutere materiam intus latitantem & putrescentem conducit, quippe minor efficitur, nec permittendum vt ea propter copiam & crassitiem meatibus infarcia-tur, & putrescat*; &c. quibus quidem verbis indicat auctor hic, quòd sanguinis extractio, & obstructiones aperit, & putridas minuit ma-terias, simulque arcet, ne nouæ gignantur obstructiones, noua-que putredo in sanis humoribus introducatur; sanguinis ergo mis-sio propositis iam indicationibus satisfacit, ac proinde pro febrium curatione necessaria quidem censenda est.

Nec hæc iam nostra dicta Galeni in XI. Methodi Med. capite 14. sequentia verba vllo pacto afficiunt, *verum quoniam nec obstructio, nec putredo curari sanguinis missione potest*, &c. quoniam animus Galeni eo loci non est docere sanguinis missionem absolutè putre-dinem, ac obstructionem curare non posse: sed quòd sola sangui-nis missio ad putredinis, ac obstructionis curationem non est suffi-ciens, ac proinde pharmacis quoque indiget, in quorum admini-stratione quia aliquo temporis spatio opus est, ne intempestiuè ægrotantem ob alimenti defectum cibare cogamur; ideò præcipit in tali casu vberrim sanguinem minimè detrahendum esse; hanc sa-nè interpretationem satis claram, verba subsequentia in calce capitis relicta reddunt, quibus sic concludit; *satis itaque fuerit, vt dictum est, vt aliquid sanguinis, quod proprium partibus animalis nutrimen-tum sit, relinquas*, &c. ecce quòd non negat missionem sanguinis curare posse putredinem & obstructionem, sed duntaxat animad-uertit parcè sanguinem esse mittendum, vt tanta sanguinis quan-titas relinquatur, quæ pro animalis nutritione sufficiens sit. Hanc adhuc huius loci explicationem verba ipsius Galeni in arte Medi-cinali parte 3. capite 89. satis confirmant, quæ talia sunt; *esto in humoribus putrescentibus accendi febrem, indicatio in huiusmodi est vacuatio, atque alteratio, hæc quidem quæ putredinem finiat manente*

adhuc

adhuc substantia, vacuatio autem quæ totam ex corpore substantiam educat, hæc autem fit secta vena, &c. ecce quòd expressis verbis faretur missionem sanguinis putredinem curare posse, ergo idem in illo xi. Methodi Med. citato voluisse, reuera fatendum est; ac proinde non licet ex illo loco (haud rectè intellecto) arguere, sanguinis extractionem putredinem, ac obstructionem nequaquam posse curare.

Secundum medium est tale; illud remedium in Medicina est faciendum quod confestim totum refrigerare corpus tanta in febre caliditate laborans potens existit, ac in causa potest esse, vt inde alui, siue sudoris, aut alterius criticæ euacuationis prouocetur fluxus, ægrotantemque a syncope, vel suffocatione imminente liberare possit; sed missio sanguinis talia præstare potest beneficia; ergo tale remedium in Medicina est retinendum. Probatur minor Galeni in 9. Methodi Med. capite 5. testimonio; vbi de missione sanguinis loquens, hæc reliquit scripta, *pro certo quoque habendum nisi iis qui hoc per naturam sunt habitu id adhibeatur præsidium, fore vt vel suffocentur, vel certè syncope prehendi omninò periclitentur*, & in 1. sectione in commento aphorismi 23. pro summa vberrimæ missionis sanguinis efficacia hæc scripsit, *in ardentissimis febribus si vsque ad animi defectionem sanguis mittatur, statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur plurimis etiam aluus citatur, & sudores manant*, &c. equidem missionem sanguinis talia pleraque alia in febribus præstare beneficia, quotidiana in praxi obseruamus experientia, vt quæ libet alia pro nunc superuacanea sit demonstratio. Indignum itaque atque impium est, si in Medicina præsidium adeò præsentaneum non retineatur; quinimo Galenum (qui huiusmodi remedium quasi rude ac confusè ab antiquioribus traditum, expoliuit, ampliauit, varijsque summæ vtilitatis regulis munijt) cuncti tenemur exaltare ac venerari. Verùm enim vero idem Galenus libro de missione Sanguinis contra Erasistratum disputans, excogitansque se aduersùs proteruos Hippocratis inimicos frustra eius auctoritatibus vti, sic in capite 5. illius operis præfatus est; *sed cur ego contra hominem Hippocrati inimicum verbis Hippocratis vtor?* sic quoque nos asserere possumus: cur testimonijs Galeni aduersus vitos Galeno inimicos vtimur? quapropter separatum sequens instituere caput opere pretium duximus, quare sit.

Vtilitas sang. missionis.

Galenus Chirurgiã perfectiorẽ reddidit.

CAPVT SEXTVM.

Sanguinis missionem in febribus saluberrimam esse, Hippocratis solius auctoritate, ac rationibus ex ipsius præceptis depromptis demonstratur. Vbi etiam textus xxxv. Libri quarti aphorismorum verus aperitur sensus, ac dilucidatur.

IActant ac exaggerant αἱμορῥόβιοι Hippocratem nunquam in febribus sanguinem misisse: at an hoc verum sit, auditis quæ in præsenti capite proposituri sumus, iuditium fiet. Equidem summa nosmetipsos afficimus admiratione, dum hanc virorum tantæ sapientiæ inspicimus, ac audimus sententiam; quoniam Hippocrates ipse libro de victus ratione in morbis acutis textu 35. sanguinem in febribus esse mittendum his verbis haud obscurè iubet, ac suadet: *verùm in acutis morbis venam secabis si vehemens appareat morbus, & qui ipsum habeant in vigoris ætate fuerint, & robur ipsis affuerit.* Vbi profectò non modò per acutos morbos febres continuas, continentes, ac pestilentes, quæ morbi acuti existunt, sed etiam spurias intermittentes, quæ ob paroxysmi acutiem acutæ appellari possunt, reuera intelligit: ambiguum propterea haud est Hippocratem sanguinis in febribus missionem allaudasse ac amplexatum esse.

Obiectio. Sed aduersus hæc indicati iam viri insurgunt, acriterque contendunt quòd Hippocrates per morbos acutos nos febres iam propositas: sed illos morbos magnos, in quibus febris vt symptoma seu comitatiua, non vt essentialis ac principalis est, profecto intelligit, & tales sunt, angina, pleuritis, alijque morbi particulares, quos sub acutorum morborum verbo includit. Quod probant primò, quia supra in textu 34. & in principio 35. de febre ardenti duplicis generis agens, pro earum curatione deiectoria, alterantia, vomitoria, lac coctum, aliaque pharmaceutica proponit remedia, docetque quid sit præsagiendum si sponte è naribus copiosus effluxerit sanguis, sicque ipsarum febrium absoluit curationem, indeque alium aggreditur sermonem: ergo verisimile non est, quòd postea de illarum curatione iterum verba fecerit, proponens scilicet pro eatundem medela alium remedium, nempè missionem sanguinis, cum iam totam earum curationem satis complecterit.

Secundò, quia illis verbis *verum*, & *siquidem* vtitur, vt distinguat ac separet primum morborum acutorum genus, hoc est febrium,

brium, de quo antea locutus est, à secundo acutorum genere, scilicet partium particularium inflammationum, quarum curationem inde erat aggressurus, quasi Diuinus Senex asserere vellet: scito te in prædicto morborum genere, febrium scilicet, sanguinem detrahere nequaquam me docuisse: quoniam grauiter sanè obesset, *verum in morbis acutis*, &c. hoc est, sed in alio acutorum morborum genere à priori contradistincto (si requisitæ adsint conditiones) vt sanguinem detrahas, ego te moneo, ac suadeo: ergo prius morborum genus à secundo contradistinguit, ac per consequens cum sub acutorum morborum secundi generis nomine prædictæ febres minimè contineantur, fatendum est, quòd eas dem à sanguinis detractione excludit. Hanc interpretationem Auicennæ auctoritate 1. 4. trac. 2. capite 33. confirmant: vbi in Causouide, sicuti & in febre tertiana simplici, phlebotomiam prohibet. Hinc Galenum inaniter inculpant, dilaniant, ac præauidè eius æstimationem lacerant, tum quia duo acutorum genera, ab Hippocrate contradistincta, ipse simul miscet, ac confundit, tum quia ab Hippocratis oratione illud verbum, *verum*, dolosè abstulit, vt sub prædicti dogmatis sensu febres quoque includi videatur, quo facilius falsam ac pernitiosam circa sanguinis missionem suam sententiam aduersus Erasistratum auctoritate Hippocratis probare ac fulcire posset: sicque concludunt, quòd Hippocrates in illo de sanguinis detractione præcepto febres quidem nequaquam includit.

Hippoc. in febrib. ardẽtib. Phlebotomiã nõ admisit.

Galenum redarguũt.

Verùm enim verò hæc subtili potius quàm veridico præfata sunt inganio, nec Hippocratis menti consonant, nec Galeni grauitati competunt; siquidem verum non est in iam indicatis contextibus febrium ardentium curationem Hippocratem compleuisse, cum in illis textibus de ijs, quæ ad pharmaciam, atque diætam spectant solummodò locutus sit; in textu ergo 35. de Chirurgia loqui intendit; ergo nondum earum febrium curationem compleuit. Præterea in 34. contextu motum naturæ salubrem indicat his verbis, *& si sanguis ex naribus fluxerit, soluitur affectio*, &c. in textu etiam 35. postquam asseruit illud ardentis febris genus iudicari non posse, nisi sanguis è naribus fluxerit, statim in eodem textu (absque quo vel alium nominet morbum, vel alterius curationem aggrediatur) subiungit his verbis quid arte deficiente natura præstandum sit, *verum in acutis morbis*, &c. quasi asserere vellet, si sponte copiosus effluxerit sanguis, morbus benè curatur, *nec* alia sanguinis euacuatione opus erit, *verum in acutis*, &c. hoc est si natura huiusmodi perutilem fluxionem minimè moliatur, tu arte id præstabis; quia febres hæ sunt morbi acuti, in *morbis* autem

Responsio ad propositam, obiectionem.

acutis

acutis sanguinem semper detrahes quotiescumque notæ appareant indicatæ. Hæc loci huius expositio Auicennæ præcepto in 1.4.trac.2.capite 7.conformis est, vbi ait, *si natura nou mouet, moue tu motu illius*; quod sanè dogma ipse Hippocrates non semel pluribus in locis tradidit: ergo idem & in hoc loco indicare voluisse colligendum est.

Nec contra hanc explicationem aduersariorum responsio valet, quòd scilicet Hippocratis in eo textu mens haud est docere naturæ motum esse imitandum; quia quando opus est, vt aliquid in Medicina efficiatur, ipse quidem satis clarè ac apertè loquitur, & iubet: quapropter frustra excogitantur quæcumque ab ipso non sunt proposita, ac per consequens talis expositio iuxta Hippocratis mentem non est.

Instantia aduersus dicta.

Non valet, inquam, talis responsio: quia Hippocrates penè semper obscuras, ac aphoristicas prodidit sententias, in quibus non rarò vnum innuit, & alterum supponit, tanquam alibi traditum: supponit enim suas regulas aphoristicas, ac vniuersales, ex quibus medendi ratio, atque Methodus deprompta est. Multa Hippocratis ipsius loca ad huius rei confirmationem affere possem, sed vt breuitati parcam vnum, aut alterum duntaxat proponam. vnus est in 2.de Morbis Mulierum textu 55.& 56. vbi de Vteri inflammatione ex mensium suppressione, aut diminutione agens, sanguinis missionis nihil meminit: nihilominus nulli dubium est huic morbo tum ob grauia symptomata ibidem recensita, tum etiam ob mensium suppressionem aut diminutionem sanguinis detractionem conuenientissimam esse, haud absque tamen ratione eam conticuit, suppositis scilicet præceptis alibi traditis, nempe in illo 4. acutorum indicato, *Verùm in acutis morbis sanguinem detrahes*, & in 1.de morbis Mulierum textu 24. *quibus nihil prodit, his detrahere oportet*, &c. alter locus est in 2. de morbis Mulierum textu 18.vbi de quodam capitis dolore satis graui sermonem facit, atque ibi varia præsidia præter sanguinis missionem (quamuis febris abfuerit) proponit: quis tamen ambiget huiusmodi dolori sanguinis detractionem haud conuenire? iure tamen id fecit: quia in 5. sectione aphorismo 69. docet, quòd venæ incisio dolori capitis prodest: & sic passim in morborum curatione aphoristica vtens Methodo, aliquando cuncta simul quàm breuiter exprimit, quandoque aliqua breui, atque conciso stylo indicat, aliqua verò vt suppositа indicare prætermittit tanquam alibi proposita. Idem ergo & in nostro casu fecisse fatendum est: ac per consequens mens Hippocratis in illo textu est arte esse in febribus illis sanguinem mittendum, quotiescumque à natura euacuatus non fuerit: non

Propellitur instantia.

rarò

rarò enim præcipere solet, quòd Medicus defectui naturæ supplere tenetur: quare inepta ac fallax illa aduersariorũ instantia remanet.

Nunc ad reliqua diluenda pergamus. falsa quoque est illa assertio, quòd verbum illud *verùm* ab Hippocrate positum fuit, vt prius morborum acutorum genus, febrium scilicet genus, à secundo morborum acutorum genere, contradistinguat ac separet: quoniam *verùm* illud non est dictio vnum ab alio contradistinguens, sed vt nemo Gramaticorum non nouit, significat sermonem antecedentem nondum exactè finitum, quapropter mens Hippocratis non est, vnum acutorum genus ab alio acutorum genere contradistinguere, sed priori orationi aliquid addere, quod iam proponere reliquit, quasi vellet asserere, remedia pro febrium ardentium curatione, quæ te iam docui, vt cum opportunitate administres, scitò ea quidem sola haud sufficere, *verum in morbis acutis*, &c. verùm cum illæ febres ex acutorum morborum genere sint, acutis autem morbis sanguinis missio conuenit, propterea pro exacta ipsarum medicatione oportet vt sanguinem detrahas.

Hæc expositio tali ratione confirmatur: hoc nomen morbus acutus, est genus sub se multas morborum speties continens, febres scilicet, inflammationes, ac magnas cerebri obstructiones: omnes autem hi morbi genere non differunt: quia cuncti morbi acuti nuncupantur; quemadmodum enim apoplexia verbi gratia; ita febris ardens, vel angina morbus acutus appellatur; ergo omnes isti genere conueniunt, eo modo quo omnia animalia genere quidem, ratione scilicet animalitatis, conuenire dicuntur, cum ergo morbi acuti genere idem sint, verisimile haud est Hippocratem, *verum* posuisse, vt vnum genus acutorum morborum ab alio contradistinguat: sed si voluisset illud de sanguinis missione præceptum de morbis particularibus duntaxat verificari, eundem quidem de febrium ardentium curatione tractatui haud adderet, sed inciperet priùs de aliquo morbo, parti alicui apropriato, sermonem facere, ac in eiusdem tractationis serie, prædictum præceptum proponeret, quod cum non fecerit, minimè asserendum est, quòd illud verbum *verùm* additum fuit, vt enarrata indicetur contradictio.

Sic quoque illud verbum, *si quidem* addit, vt significet se alium sermonem aggressurum iam quidem inceptum, sed nondum completum; quia in propositione illa, *verum in morbis acutis*, &c. docet sanguinis missionem in morbis acutis esse administrandam, at ratio expostulabat, vt de pharmacia quoque aliquid diceret, quod cum supra pro febribus ardentibus præstiterit, ideò tradita prius regula vniuersali circa sanguinis missionem, statim incipit pro an-

gina, pleuritide, aliisque huiusmodi morbis pharmaceutica proponere remedia; dicitque, *siquidem igitur angina fuerit, siue aliquis alius ex pleuriticis morbus, ec legmatis delictu repurgato*, &c. per talem itaque causam illam posuit particulam *si quidem*, non autem vt vnum morborum genus ab alio separet.

Ad Auicennæ auctoritatem infra in quinti fundamenti confutatione, vbi etiam isdem citatur Auicennæ locus, vt prolixitatem fugiamus, respondebimus. Sed quid nunc ad calumnias aduersus Galenum asseramus? Equidem summa horum hominum extat vanitas, ac temeritas in contemnendo tam inaniter virum adeò magnum, præcipuè quoniam Galenus ipse syncero ac puro animo nulla caliditatis labe infecto textum illum transcripsit, locoque verbi illius, *verum autem* posuit, quod idem est, ac verùm, hoc ferè in cunctis eius codicibus apparet: non est ergo verum tale verbum prætermissum ab ipso fuisse. Præterea eximius hic Præceptor tam doctè atque strenuè falsam Erasistrati circa sanguinis missionem sententiam confutauit, tantique apud omnes penè gentes honoris ac gloriæ fuit, vt ad eandem deprimendam ac annihilandam dolo ac fraude vti quidem haud indiguerit. Euanescant igitur huiusmodi calumniæ, erubescant, ac conturbentur vehementer Galeni inimici ac contemptores; quoniam Gal. ipse per cunctas celebriores Vniuersi regiones vti æthereus Sol emicat sanè ac perfulget.

Reprehensiones contra Galenũ extra omne ius existũt,

Patefacta circa sanguinis in febribus missionem Hippoc. mente, nunc superest, vt huiusmodi auxilij necessitatem demonstrationibus quoq; ipsius *Hippoc.* dogmatib. suffultis, confirmemus. ne autẽ lectorẽ tedio afficiamus tres duntaxat proponemus; quarũ prima est.

Nulla febris excitatur nisi priùs calor præternaturalis cor occupauerit; hinc omnium consensus est, cor in febribus primum esse, quod perpatitur; ad huiusmodi autem calefactionem, ac passionem aliqua ipsius cordis subsequitur debilitas; quare corde eodem sic affecto, humores in corpore existentes ad ipsum facilè confluunt; exploratum enim est, quòd membrum calfactum atque aliquo pacto debilitatum humorum euadit receptaculum; & propterea Hippocrates libro de locis in homine textu 15 ait quòd *fluxiones carne percalfacta, ac superinflammata fiunt*; corde itaque in febre calefacto, humoresque ad ipsum confluxi magis calfacti, atque inflammati ac inter se commoti, seu mala qualitate hoc est calore præternaturali ac putredinoso infecti eundem cor magis ac magis profectò inflammant, vel copia ipsum obruunt atque suffocant, seu in aliam principem irruentes partem morbum aliquem magnum causare possunt; hinc non tarò obseruamus, febres mites, ac benignas non bene curatas (auctore Hippocrate libro de

affe-

affectionibus textu 12.) in morbos acutos transire; quapropter vt hæc arceamus mala ad aliquod opportunum confugiendum est præsidium; sed nullum exactius ac opportunius ipsa sang. detractione excogitari potest, ergo sang. detractio pro febrium curatione necessaria est. Propositionis minoris veritas ita aperitur. remedia in Medicina aut sunt lenientia medicamenta, aut purgantia, seu alterantia, vel sanguinis missio: lenientia insufficientia sunt, vt medijs ijs prædictum adipiscamur scopum, quia primas solummodò vias euacuant, nec aliud boni præstare possunt. alterantia suspecta sunt, vel quia calida, seu frigida existunt, illa, corpore non purgato, calorem febrilem, hæc obstructiones adaugent. purgantia medicamenta plena sunt periculis: nam vel administranda in principio, crudo adhuc morbo existente, vel in declinatione, eodem concocto: in initio tuta minimè sunt, præsertim si febris acuta sit: quia *concocta medicari atque mouere non cruda, neque in principio*, &c. Hippocrates 1. sectione aphorismo 22. & in 24. eiusdem sectionis, *in acutis passionibus rarò, & in principijs medicinis purgantibus vti*, &c præcipit. & ratio etiam est; quia purgantia medicamenta cum calida sint, febrili calori incrementum exhibent, sitim augent, dolores ac tormina ventri inferunt, humores agitant, ipsosque in partes principes detrudunt ac impellunt, atque indiscrimi-natim tum bonos, tum etiam prauos exhauriunt: hinc Hippocrates ipse libro de locis in homine textu 24. huiusmodi purgantia in febribus vetans, hanc reddit rationem, *calefaciunt enim caput pharmaca purgantia: & sanè ad caliditatem febrilem accedens ea, quæ in medicamento est, insaniã facit*, in principio igitur purgantia pharmaca nullam pollicentur securitatem. Si verò in declinatione, materia concocta, purgantia exhibenda, asseratur, etiã tunc vel superflua, aut suspecta sunt; superflua, præsertim si febris vehemens, & acuta fuerit, in qua si sanguis tempestiuè minimè euacuatus sit, sed humorum sarcina intus relicta fuerit, tunc antequam materia concocquatur, natura à copia ac violentia ipsius materiæ peccantis fracta ac superata iam succumbet, atque omnimoda pacientis extinctio paulò post superueniet; ergo tali etiam tempore purgantia pharmaca superuacanea sunt: tunc enim vires elapsæ possunt esse; vnde ab illis purgatio contraindicatur. Sic nec tuta eadem pharmaca existunt: quia etiamsi natura superior morbo eodem appareat, verèque febris in declinatione sit; vt plurimum tamen intus in corpore circa viscera cineritia relicta post febrem solent latitare, quæ vi medicamentorum purgantium attractoria, atque calefactoria commota, & agitata iterum accenduntur, ac calefiunt, calorque alicui ex humoribus communicatur, vnde febris quidem recidi-

Purgantia Pharmaca pro febrium medela tuta non sunt.

uatur. hinc quotidiana obseruamus experientia quòd etiam febre plane declinata si purgantia pharmaca exhibeantur, commotis ac agitatis ab ijsdem medicamentis humoribus ac cineritijs, iterum febris recidiuatur: quapropter purgantia medicamenta etiam in febris declinatione & superflua & suspecta sunt. Cum itaque nullum ex enumeratis præsidijs ad euitanda damna iam enarrata idoneum sit, ex sufficienti partium enumeratione, sequitur, quòd solius sanguinis missionis hoc adæquatum sit munus: etenim sanguine detracto membra calfacta refrigerantur, calidi ventilantur humores, meatus aperiuntur infarcti, putridæ deplentur materiæ, quæcunque putrefactura sunt à putredine præseruantur, atque nulla calefactione excitata fluentem ac præcipitem ad cor, ad aliasque partes principes materiam reuellit, deriuat, ac euacuat; missio igitur sanguinis pro febrium euulsione potentissimum est remedium. Confirmatur, quia sicuti in partium particularium inflammationib. sic etiã in febrib. necessaria est materiæ peccantis reuulsio, in synochis, præcipuè, ardentibus, ac pestilentijs, in quibus viscera plus quàm inflammata sunt, quod asperitas linguæ ac nigredo, sitis inextinguibilis, iactatio hùc atque illùc, quædam corporis afflictio quasi inexplicabilis, aliaque symptomata valde sæua, denotant; Hoc Hippocrates indicare voluit, dum libro de locis in homine textu 38. scripsit, *febres porrò propterea fiunt cum corpora superinflammato*, &c. ad cuius imitationem Auicenna forsitan in febris definitione in 1. 4. capite 1. hæc addidit, *& inflammatur in eo inflammatione quæ nocet operationibus*, &c. in febribus ergo præsertim magnis cor, cæteraque viscera naturalia, quin totum corpus quasi inflammata sunt; ac proinde reuulsio in tali inflammatione est valdè necessaria, sed ad peccantes materias reuellendas nihil salubrius, ac efficacius ipsa sanguinis missione existit, ergo talis in medicina necessaria est, ac per consequens ad inhibenda iam explicata nocumenta magis tuta, opportuna, ac sufficiens cæteris iam propositis Medicinæ præsidijs existit.

Missio sang. cætera remedia pro febriũ medela antecellit.

Opus est et iam in febrib. reuellere.

Secunda demonstratio est: quod natura in morbis præstat, Medicus quoque præstare debet: quoniam ab Hippocrate alijsque antiquis Medicis sancitum est, naturæ adiutorem, ac imitatorem Medicum esse: at natura non impedita febribus sanguinis euacuatione medetur; ergo etiam Medicus natura ipsa deficiente; idem artis auxilijs facitare tenetur. minorem propositionem præter quotidianam experientiam Hippocratis quoque testimonia satis confirmant, quæ quidem innumera sunt: vnum tamen aut alterum satis est afferre, in Coacis prænotionibus de varijs febribus sermonem faciens, hæc scripsit, *morbi acuti iudicantur sanguine de*

Natura febris sanguinis euacuatione curat.

naribus

naribus fluente, &c. addit inde septima die aut nona aut decimaquarta fluxiones sanguinis è naribus contingentes plerunque febres soluere, & in principio eiusdem libri de diuturnis febribus loquens, existimat absque sanguinis eruptione eas sanè minimè curari posse: verba eius sunt hæc, *quibus in febribus venæ in temporibus pulsant, & facies sana est, & præcordium non molle, diuturnum morbum significat & non desinentem citra multi sanguinis ex naribus fluxum*, &c. & in 1. Epid. sect. 2. textu 63. hæc habet, *quibus ritè, & largitèr sanguis erumpit, ea de causa maximè seruabuntur, ac nullum noui, si rectè ei erupisset sanguis, in hoc statu quemquam mortuum*; conspicuum ergo est, quod natura febres per sanguinis euacuationem curat, ac proinde Medicus in naturæ defectu tanquam ipsius adiutor, ac imitator id ipsum facere debet. Quòd autem talis Hippocratis mens existat, probatur: nam natura, vel diminutè, vel nihil agit: si diminutè, ac imperfectè in febre materiæ noxiæ depletionem moliatur, Hippocrates huiusmodi naturæ motum in 1. sect. aphor. 21. Medicum adiutare his verbis suadet: *quæ ducere oportet, quo maximè natura vergit per loca consentia eo ducere conuenit*; si verò natura ipsa planè sui immemor sit, nec quidpiam ciat, tunc Medici opus est, vt id ab eadem natura pro aliquo impedimento prætermissum artis auxilijs aggrediatur, atque præstet; quod Hippocrates ipse in 1. de morbis Mulierum textu 24. admonet, dum inquit, *quibus nihil prodit, his detrahere oportet*, &c. cum enim aliquando contingat vias per quas natura solet sanguinem euacuare semioccluſas, vel planè obstructas, esse vel eandem naturam à materiæ noxiæ pondere ac malitia valdè afflictam ac pressam existere, iccircò vel nihil, vel diminutè sanguinem in febribus euacuat. Quapropter conuenientissimum est, vt Medicus huiusmodi euacuationis necessitati præsidijs artis, missione scilicet sanguinis satisfaciat; & hoc vt enarata Hippocratis decreta exequatur. necesse est igitur sanguinem in febribus mittere.

Tertia demonstratio est; quod naturã ab humorũ sarcina leuare, imminentiq; syncope, ac suffocatione liberare valet, pro febriũ curatione est in Medicina retinendũ; sed sang. missio est huiusmodi, ergo profebriũ medela est in Medicina retinẽda. Minor probatur; quẽadmodum verbi gratia ignis cum propemodum à lignorum copia exstinguatur, subinde paucis adèmptis, rursus relucet, ijsque superior euadit; sic etiam natura cum ob massæ sanguineæ exuberantiam, ac malitiam in febre quasi suffocationem perpatiatur, subinde sanguine in sufficienti quantitate hausto, rursus reuiuiscit, superiorque morbo euadit; etenim tali tempore vires recreantur,

sym-

symptomata immiuuntur, quodque intus morbificum relictum est agiliùs atque commodiùs à natura concoquitur, ac superatur, sanguinis ergo missio naturam ab iam explicatis malis liberare, ac præseruare aptissima quidem est. Confirmatur si corpus athleticum intra sanitatis latitudinem adhuc existens, in periculo est, vt in aliquem grauem incidat morbum; & propterea Hippocrates in 1. sect. aphor 3. præcipit, quod talem habitum statim soluere expedit, multò magis ipsum corpus actu febricitans in periculo existic, vt maiori aliquo corripiatur morbo: ergo Hippocrates etiam intendit, quòd multo magis expediat massæ sanguineæ plenitudinem in tali corpore existentem confertim soluere. Hinc in 2. sect. aph. 22. asseruit, quòd *quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio*, &c. sed solutio, seu euacuatio huiusmodi plenitudinis per pharmaciam ritè præstari nequit, tum quia pharmaca remedia valdè suspecta sunt, vt supra probatum fuit, tum etiam quia pharmaca ægrè ac lentè; missio verò sanguinis citò, ac exactè subsidium ac opem solet ægrotantibus afferre: sequitur ergo quod per Chirurgiam talis euacuatio commodius, ac melius fieri potest, ac per consequens missio sanguinis secundum vniuersalia Hippocratis præcepta pro febrium curatione remedium præstantissimum reuera existit.

Obiectiones.

Aduersarij hic duas annectere possunt obiectiones, quas proponere ac soluere necesse est. prima talis est; omnes febres à bilis prædominio fiunt: vnde etiam si massa sanguinea in febricitantis corpore exuberans sit, non debet tamen sanguis extrahi, ne bilis ipsa suo destituta fræno, magis euadat furens febrisque augeatur. hinc experientia non rarò obseruatur, quòd febris simplex sanguine extracto statim eodem sanguinis extractionis die in duplicem eamque maiorem, quin aliquando in continuam conuertitur febrem: hoc autem ab allio nisi à bilis ob sanguinis extractionem efferuescentiam ac ebullitionem reuera procedit: quare in vllo febris casu non oportet sanguinem detrahere.

Secunda est, quod Hippocrates in aphorismis indicatis non febres essentiales, sanguinisque missionem, sed morbos particulares remediaque pharmaceutica intelligit: ergo ex his non est arguendum quòd secundum Hippocratis placita sanguinis missio in febribus necessaria sit.

Responsio ad primam obiectionẽ.

Ad primam dupliciter respondemus, & primò sic; dato etiam verum esse, quòd omnes febres ex bilis prædominio oriuntur: per hoc tamen ab ipsis febribus sanguinis detractionem reijcere indignum est: nam febris à prædominio bilis in corpore sanguine exuberanti generari potest, talis autẽ sãg. exuberantia ab ipsius bilis

cali-

caliditate, ac feruore calefieri, ac agitari potest, sanguine verò calfacto, ac agitato facile, ac possibile est vt in cor irruat, ipsumque suffocet, ergo ad tam magnum euitandum periculum, etiam si febris à bilis prædominio ortum ducat, citò tamen est sanguis mittendus; Diuinus enim Senex libro de locis in homine textu 36. hoc aureum præceptum nobis reliquit scriptum; *quum enim morbus periculosissimus sit, periclitari oportet*, &c. si itaque sanguinis abundantia in febricitantis corpore sit, bilis prædominium haud formidandum est, sed vt periculum fugiatur, periclitari oportet, hoc est ne suffocatio, siue aliud contingat malum, quamprimùm sanguis detrahendus est.

Secundò sic respondetur, febres non modò à bilis prædominio oriuntur, sed etiam ab alijs humoribus segregatim generantur: fit enim febris ex solo sanguine in mulieribus præter naturam retento, vt ex Hippocrate 1. libro de morbis mulierum textu 69. colligitur; fit quoque à quolibet alio solo humore, vt infra in capite 7. patebit in responsione ad primum fundamentum. Quod autem de experientia dicunt, id verum est, quando febris simplex in corpore calido, & sicco exquisita est, à pura scilicet, ac syncera bile proueniens: equidem in tali casu inutilis atque malefica est sanguinis missio, vt in capite vltimo huius tractatus nos quoque probabimus; at quando febris est spuria, in corpore præcipuè calido, & humido, siue alio temperamento, in quo aliqua sanguinis vbertas reperiatur, falsum est febrem simplicem ob sanguinis detractionem in duplicem, vel continuam transire febrem: quoniam quotidiana experientia febrem talem post sanguinis missionem potius mitescere, atque diminui, quàm exasperari, ac augeri exploratum est. his adiungimus atque fatemur, quòd febris post sanguinis detractionem crescit, hoc nihilominus haud perpetuò, sed rarò duntaxat contingit, atque tunc subsequenti die statim incipit decrescere, atque minus ægrotantem affligere: tandem ad nihilum reducitur: quamuis itaque post sanguinis missionem febris aliquod sumat incrementum: nihilominus cum tale ferè momentaneum sit, ac per accidens ob motum scilicet sanguinis effectum, tum quia nullum ex Alexandro Tralliano in tam vasta Medicinæ sylua præsidium reperiatur, quod cum emolumento aliquod patienti damnum non afferat, tum etiam quoniam ex alia parte tot beneficia, tantasque vtilitates iam à nobis explanatas, aliasque innumeras, ac indicibiles profectò pariat, non oportet eam in tam necessitatis impulsu derelinquere.

Ad secundam respondetur quod Hippocratis aphorismi sunt sententiæ vniuersales cunctos morbos, cunctaque artis remedia

tàm

tàm chirurgicà, quàm pharmaceutica amplectentes; ergo etiam febres essentiales, sanguinisque missio sub horum aphorismorum sensu comprehenduntur. Conspicuum igitur remanet quòd secundùm Hippocratis mentem sanguinis euacuatio arte peracta conuenientissima in febribus existit, plura hic adiungere necesse non est; cuncti enim hac tempestate breuitati gaudent.

Sed præstat motos componere fluctus, quare sit.

CAPVT SEPTIMVM.

Primæ sententiæ rationes, ac fundamenta euelluntur.

MOlem illam iam indicatam ab ingeniosis præfatæ sententiæ viris variis fundamentis ac rationibus structam, tanquam lucidum ac regium veritatis asylum adumbrantem, in præsenti capite pro virium imbecillitate animus est penitùs eruere; siquidem vt Leonardus Botallus ex Hippocratis sententia libro de curatione per sanguinis missionem in principio rectè asserit, nihil humano generi pro celeri omnium morborum conflictatione ac eradicatione ipsa sanguinis missione vtilius ac salubrius censeri potest.

Primum ergo fundamentum Hippocratis dogmatibus, experientiæ, ac rationi è directo aduersatur. Hippocrati quidem propter multas causas; Prima est, quia Hippocrates ipse 1. Epid. sect. 3. textu 8. ait; *tertiana exquisita citò indicatur*, &c. & in 4. sect. aphorismo 59. *tertiana exquisita septenis circuitibus, quod longissimum est, indicatur*, & in Coacis prænotionibus, *tertiana in quinque, aut septem circuitibus, aut ad summum in nouem indicatur*; ergo falsò asserunt tertianam quotidiana longiorem esse, cum quotidiana nunquam breuis sicuti tertiana perspecta sit.

Tertiana breuior Quotidiana.

Secunda est; quia ex eorum interpretatione colligitur penès ipsos exquisitam tertianam, puramque quotidianam non posse dari, bilisque fomitem ad febris generationem necessarium semper esse, quod tamen Hippocratis menti conforme non est; nam locis proximè citatis manifestè de tertiana exquisita loquitur, & in 1. de morbis Mulierum textu 43. & 45. inter alios morbos, quos prægnantes solent perpeti, duas febris species ibidem describit; in primæ descriptione signa quædam recitat, quæ solam bilem in ea febre peccare denotant: & ideò pro eius medela hæc profert verba; *huic pharmacum in potu exhibendum est, quod bilem ducat*; &c. in secundæ verò descriptione signa indicantia eam febrem ex sola

pituita

pituita prouenire enumerat; iccirco pro eius curatione sic loquitur; *huic dare oportet pharmacum, quod pituitam ducit*; &c. & libro 1. de morbis textu 2. de morborum generatione in genere sermonem faciens, ait; *morbi quidem igitur vniuersi ex his quidem quæ in corpore insunt, tum à bile, tum à pituita fiunt*; in textu etiam 22. eiusdem libri asserit: *febris porro ab his fit, quum bilis, aut pituita calefacta fuerit*; si ergo tertiana ex sola bile, & quotidiana ex sola pituita non darentur, pharmacum solùm bilem ducens pro prima febris spetie descripta, ac aliud pharmacum pituitam duntaxat euacuans pro secunda febris spetie, reuera non proponeret: sed aliquod remedium mixtum, quod duos illos humores simul mixtos euacuare posset, potius præposuisset: cum ergo hæc non fecerit, fatendum est Hippocratis mentem fuisse tertianam ex sola bile, & quotidianam ex sola pituita posse generari; Sic quoque nec particula illa disiunctiua, *vel*, vteretur, sed coniunctiua scilicet, *&*, intelligit ergo quòd sicuti sola bilis, sic etiam sola pituita calefieri, ac putrefieri potest; diceret enim *febris fit quum bilis & pituita calefacta fuerint*, indicando per hoc, quòd febris ex his duobus humoribus simul mixtis atque calfactis oritur: sed nihilominus intelligens febrem posse à sola bile, ac à sola pituita seperatim excitari; ideò dixit, *febris fit quum pituita, aut bilis calefacta fuerit*.

Confirmatur prædictæ assertionis falsitas in eodem textu 22. citato declarans quomodo rigor febrē antecedens fiat, inquit: *maximè verò & vehementer fit, quum bilis & pituita sanguini fuerint permixta, aut altera ex his, aut vtraque, magis tamen si pituita sola permixta fuerit*, &c. ex quo loco clarè apparet, quod febris absque bilis interuentu excitari potest; nam inquit, quod ex sola pituita sanguini permixta maior oritur rigor, ergo intelligit, quòd febris ex solis his duobus humoribus generari potest; nā vt dictum est in eo loco, de rigore febres antecedente loquitur, qua occasione innuit febrem ex pituita sanguine permixta posse fieri, falsa ergo tota illa assertio est, quod quotidiana non ex pura pituita, & tertiana non ex pura bile, nullaque febris absque ipsius bilis tomite produci possunt.

Dantur febres exquisitæ aliæ ex sola pituita aliæ ex sola bile ort-

Hæc nostra hactenus dicta alia quoque Hippocratis ipsius loca clarè confirmant: Hippocrates enim in 1. Epid. Commento 2. secundum Galeni codicem textu 16. tertianæ synceræ mentionem facit: & in tex. 20. asserit tertianas in quadam tempestate *Epidemica* in eodem libro descripta, in septem circuitibus absolutè iudicatas esse. & paulo post in textu 21. & 22. subiungit, quòd quotidianæ diù, quartanæ verò diutius ægrotos ea tempestate tenue-

runt: pura ergo circa hanc rem figmenta aduersariorum assertiones existunt.

Tertia causa est: quia ex eorum dictis non nisi vnam tertianam, non verò duplicem dari colligitur; & tamen Hippocrates ipse sua aphoristica locutione in 4. de ratione victus in acutis textu 57. duplicem admittit tertianam, verba cuius talia sunt: *inspiciendum si febris exacerbet in tertium diem, nempè in huiusmodi morbis tertianæ considerandæ sunt exacerbationes; conspicienda præterea & alia, & si quarta dies tertiæ quippiam simile attulerit; nam tunc æger in periculo est*: &c. quasi diceret & si post tertium diem etiam in quarta febris exacerbet, quia tunc duplex fit exacerbatio, vna in tertia alia in quarta die, sicque singulo die æger vexatur: ideò tunc in periculo est. magis expressè tertianam duplicem eamque continuam in 1. Epidemiorum comment. 2. textu 25. proponit. Confiteri ergo licet Hippocratem duplicem admisisse tertianam.

Secundum Hippoc. duplex datur tertiana.

Quarta causa est; quoniam in textu illo citato libro de natura humana illud verbum, συνοχος, iacet, quo Hippocrates (vt suæ perlegentem opera haud latet) nunquam vsus est: cum ergo in textu verba à consueta Hippocratis ipsius locutione diuersa sint, suspicandum est secundum Sabinum alios que tum antiquos, tum etiam recentiores Medicos textum illum verum ac proprium Hippocratis opus haud existere.

Quinta causa est; nam illi viri ex Hippocrate in eodem libro de natura humana textu 6. colligunt, febrem vt plurimùm produci quotiescumque humor aliquis, bilis præcipuè, ab alijs separatur, ita vt in proprio loco non maneat, nec naturalem cum alijs seruet proportionem: hinc statuunt, quod non putredo ex prohibita transpiratione orta, vt Galeno placuit, sed humorum segregatio est causa febrium immediata. In qua quidem re valdè decipiuntur; primò quia contingere potest etiam humorum segregatione facta febrem aut alium morbum nequaquam oriri; quotiescumque enim illi segregati humores benè ventilati, ac perflati manent, nulla ijsdem infectio contingit, ac proinde ab ipsis nec febris nec alius affectus generari potest; humorum ergo segregatio sufficiens febris siue alterius morbi causa non est, sed oportet vt ad ipsorum generationem aliquid aliud interceda t. Secundo quia Hippocrates ipse putredinem humorum ex prohibita transpiratione ortam causam febris esse immediatam libro de locis in homine textu 38. his fatetur verbis; *febres porrò fiunt, quum corpore superinflammato carnes intumuerint, & pituita ac bilis conclusa quieuerint, & neque refrigescant quicquam; neque exeat, neque moueatur, neque*

Penès Hippoc. putredo ex prohibita transpiratione orta est febrium causa.

neque aliud quid subeat, &c. vbi per ea verba, *bilis & pituita conclusa quieuerint*; indicat tales humores obstructos ac putrefactos febres facere: per reliqua verò verba significat, quod huiusmodi humores immobiles, non ventilati, neque perflati manent: ex quibus patet quòd Galeni opinio, asserentis, quòd causa febrium immediata est humorum putredo ex prohibita transpiratione genita, tota est Hippocratis placitis conformis, ac proinde humorum segregatio ad febris generationem non sufficit; sed oportet vt humor segregatus immobilis, ac non ventilatus priùs sit, ita ut putredinem concipiat, ad hoc vt ex eo febris produci possit.

Tandem nullius vigoris est ratio illa ex Hippocrate libro de locis in homine desumpta, vbi quia pharmacum bilem ducens pro febrium medela proponit; ideò arguunt quod febrium ortus à bile semper procedit; quoniam ibi non est sermo vniuersalis de quacumque febre, sed de quibusdam febribus vnius speciei, quæ excitari solent cum corpore superinflammato carnes intumuerint, ac bilis & pituita concluſa fuerint; in quibus quia supponit bilem pituitæ esse mixtam eique prædominantem; ideò pharmacum bilem duntaxat ducens proponit: eo modo quo etiam Aetius tetr. 2. sermone 1. capite 8. alijque percelebres Medicinæ scriptores in spuriæ tertianę curatione absinthium, bilem præcipuè euacuans, solummodo proponunt, licet in tali febre pituita, vel melancholia peccare soleant; nihilominus ob bilis prædominium solum nominant absinthium; ob similem ergo causam Hippocratem quoque pharmacum bilem solum deplens proposuisse, fatendum est. Cholagogum ergo Hippocrates proponit, non quia omnis febris à bile oriatur, sed quia illa febrium species, de qua particulariter ibidem agit, à pituita & bile simul mixtis, prædominante tamen bile, ortum ducit; quòd autem eo loco Hippocrates bilem pituitæ mixtam esse, intelligit, & de vna febrium spetie ex his humoribus simul mixtis orta, loquatur, patet; quia copula vtitur coniunctiua, *& pituita, ac bilis conclusa quieuerint*, &c. quando enim similem mixtionem non supponit, ac de diuersis febrium speciebus loquitur, non coniunctiua, sed disiunctiua vtitur copula, sicuti in 1. de morbis textu 22. factitat, vbi de diuersa febrium specie sermonem faciens, sic loquitur: *febris fit, quum bilis, aut pituita calefacta fuerint*, &c. ex quibus patet quod in eo loco de omnibus febribus non loquitur, sed de quibusdam spurijs, ex pituita & bile inter se mixtis, genitis, in quibus cum bilis in prædominio sit, pharmacum bilem solummodo expurgans proponit. Fatendum itaque propter iam enarratas causas quòd doctrina in hoc primo fundamento posita Hippoc. præceptis nulla ex parte consonat.

Sic quoque fundamentum ipsum experientiæ aduersatur; nam quotidianam ex sola pituita, tertianam ex sola bile fieri, atque illam hac diuturniorem: hanc verò ea ipsa breuiorem esse, longa magnorum virorum experientia satis superque comprobatum est: etenim aliquando in homine habitu pituitoso, tempore hyemali febrem circa horas vespertinas, vel nocturnas, quo tempore pituita solet moueri, cum vomitu merè pituitoso, quandoque excretionibus pituitosis, cum pulsu molli non valdè frequenti, vrina alba, calore miti initio, sed progressu temporis vehementiori, deiectione appetitus, nulla vel pauca siti, ventriculi debilitate, alijsque symptomatibus, exacerbari, ægrumque ab eadem diù multumque affligi, haud obscura conspicimus experientia: quæ omnia febrem ex sola pituita oriri, ac in longum protrahi, satis denotant. E contra in ægrotante temperamenti calidi, & sicci tempore æstiuo febrem circa meridiem, qua bilis moueri solet, cum vomitu bilioso, deiectionibus biliosis, aliquando angore, seu cardialgia, pulsu non ita molli, frequenti ac celeri, vrina subflaua, ignea, calore perurenti, ardenti siti, alijsque accidentibus exacerbari, ægrumque nimium vexare, non rara animaduertimus experientia: quæ quidem solam peccare bilem febremque quam breuem fore, expressè indicant. primæ febris speciei iam explicatæ phlegmagogum, secundæ verò holagogum conducere, obseruatum est; ergo illam à pituita syncera, hanc verò à mera bile ortũ ducere, fatendum est; quia ex Hippocrate 2. sectione aphorismo 17. *morbum ostendit sanatio*.

Instantia. Sed quantum ad breuitatem ac longitudinem harum febrium attinet, aduersæ sententiæ viri respondent, quod harum febrium duratio supposita æquali acutie, ac vehementia est sumenda; verbi gratia ponantur duæ febres, quæ æqualiter moueantur, febris de tertio in tertium inuadens ea, quæ quotidie inuadit, diuturnior erit: & ratio est ab Hippocrate allata: quia corpus quotidie calfactum citiùs liquefit, quam illud quod de tertio in tertium solummodo incalescit: ergo asserere quotidianam esse longam, tertianam verò breuem, nihil illud inconcussum concutere potest fundamentum.

Reijcitur instantia. Quæ quidem responsio ad diluenda ea quæ diximus, insufficiens est; nam quomodo in quotidiana, ac tertiana illud exemplum locum habere potest? siquidem neque æqualiter mouentur, neque æquali calore ægrotantẽ vexãt: in quotidiana enim ægrotus miti calore sensim ac sensim cõsumitur, in tertiana verò flagranti, ac vehementi incendio citò liquefit; quãuis namq. de tertio in tertiũ æger in tertiana solummodo affligatur; nihilominus cũ calor tertianę abs

que

que similitudine aliqua vehementior calore ipso quotidianæ existat, plus in tertiana, quam in quotidiana ipsius liquescit corpus: ea ergo suppositio in casu nostro extra rem reuera existit: quapropter idem fundamentum experientiæ quoque aduersari, haud negandum est.

Sic tandem rationi fundamentum ipsum minimè architectatur, nam asserunt, quòd febris nulla absque bilis fomite oriri potest: quod falsum esse tribus probatur rationibus, quarum prima est. quæ sunt calida & humida sunt omnium maximè, ad febrem præsertim putridam, dispositæ, Auctore Auicenna 1.4. trac. 1. capite 2. sed sanguis ex Hippocrate libro de natura humana textu 13 & eodem Auicenna prima primi doctrina 3. capite 2 calidus & humidus est, ergo talis humor ad febrem est dispositus: si ergo ex sui natura talem ad febrem habeat dispositionem, sequitur etiam quòd ipse absque alterius humoris auxilio ad calorem febrilem concipiendum aptus sit: ac per consequens falsum est asserere febrem sine bilis interuentu minimè accendi posse.

Febris sine bilis fomite haud fit.

Secunda ratio est; quod est bile calidius, absque ipsius fomite calorem febrilem aptum est recipere; sed sanguis est bile calidior ex Hippocrate 1 de morbis textu 22. vbi hæc habet: *calidissimus autem sanguis, frigidior est etiam aliquanto bilis sanguine*, &c. & in 27. textu eiusdem libri subiungit, *vtpote quum etiam natura calidissimus sanguis in corpore existit*, &c. si ergo sanguis eadem bile calidior sit, sequitur quòd ad calorem febrilem recipiendum ipsius fomite haud indigeat.

Sanguis bile calidior.

Tertia ratio est, quia omnia putrescere possunt præter ignem auctore Philosopho 4. Meteoror. capite 2. ergo etiam pituita, & melancholia: tenet consequentia, quia si omnia ad putredinem apta sunt: ergo etiam tales humores sub hac includuntur aptitudine, sed quæcunque putrescunt sine corporis calidi interuentu (dummodò nec ventilata nec perflata maneant) solent putrefieri; triticum verbi gratia si non ventilatum ac perflatum reperiatur, absque corporis calidi ope facilè incalescit, ac putrescit; ergo etiam pituita atque melancholia si non ventilata ac perflata maneant, absque bilis fomite putrescere possunt, ac proinde ab illis febris sine bile produci potest.

Pituita & melancholia putrescere possunt.

Nec valet si dicant aduersarij quòd etiam si tales putrefiant humores, tamen nisi bilis eosdem tanquam sulphur accendat, propter ipsorum crassitiem, ac visciditatem febris ab illis minimè oriri valet. non valet, inquam, quoniam crassities, & visciditas non impossibilitatem, sed potius difficultatem, ac tarditatem ad calorem febrilem recipiendum causant: cæterum quemadmodum sine bile putre-

putrescere, sic absque eadem accendi, ac calefieri possunt: quia res putrefacta haud ventilata ex sui natura sine alterius subsidio obfuligines, ac vapores retentos incalescit sanè ac accenditur.

Confirmatur hæc ratio Auicennæ auctoritate 1. 4. tract. 1. capite 2. vbi ait, *& corpora frigida, & humida, & frigida & sicca sunt longinquiora à febribus, & propriè ab ephemera*, per quæ quidem verba etiam talia corpora ad febres, sed quàm minus cęteris corporibus esse disposita, intelligit, ac per consequens ex sola pituita, aut melancholia febrem posse oriri, auctor hic intendit: etenim hoc fieri posse, præter experientiam, ac rationem non est: ipsa namque nix, auctore Aristotele 5. de historia animalium capite 19. incalescit, ac putrefit, ac ex ea vermes gignuntur: ergo multò magis isti humores in corpore concluſi existentes putrefieri ac accendi valent, ac proinde falsum est dicere quod nulla febris sine bile producitur.

Nix putrefit.

Ex his patet etiam falsitas eorum quæ in calce huius primi fundamenti colligunt, quæ duo sunt: vnum, quod quia bilis febrium omnium est causa, ideo penès Hippocratem sanguinis missio febribus haud conuenit, ne colericorum contingat ebullitio: probatum enim iam est etiam absque bile febrem oriri posse, ostensum quoque est, illam doctrinam Hippocratis haud genuinam esse. Alterum quod colligunt est, quòd febres prædictæ non nisi secundum magis & minus differunt: quod etiam falsum esse, hac probatur ratione. *Illa quæ essentialiter diuersa sunt, secundum magis & minus haud differunt, quia magis & minus sunt accidentia, quę rem vnam ab alia diuersam minimè cõstituunt, Æthiops enim verbi gratia & Italus ob colorem magis nigrum, vel magis & minus album non diuersificantur: sed febres esentialiter inter se differunt; quia alia est verbi gratia essentia continentis, alia quotidianæ, quartanæ alia, aliaque tertianæ, quod patet ex eo quòd à diuersa humorum natura principaliter oriuntur, diuersos seruant typos, ac diuersis symptomatum formis ægrotantes vexant, symptomata autem ab essentia febrium profluunt: hinc ab Aristotele 1. de anima tex. 11. scriptum relictum fuit quòd accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est: si ergo ipsa febrium accidentia diuersa inter se sint, etiam ipsarum febrium essentia, à qua emanant diuersa debet esse, ac per consequens non secundum magis & minus, sed potius essentialiter febres inter se differunt: itaque à primo ad vltimum conspicuum est, illud fundamentum & Hippocrati, & rationi, & experientiæ vndequaq. aduersissimum esse, ac proinde vt tenue, ac veluti super aerem extructum sua sede diuulsum, ac destructum manet.*

Febres specie differũt

Secun-

Secundum fundamentum, sicuti non multi vigoris est; sic haud multo labore ipsum eruimus. nam quamuis emisso sanguine humorum massa de loco in locum moueatur; nihilominus quia maior noxij humoris pars euacuatur, atq; natura bonum pro corporis subsidio amplectitur, prauumque intùs remansit, non nihil à copia & mala qualitate materiæ peccantis exonerata, faciliùs aggreditur, concoquit, ac superat, nec à suo distrahitur offitio, nec viscera implentur humoribus, nec ad corruptelam humores ipsi disponuntur, propterea non est verendum tempore opportuno sanguinem mittere.

Hæc experientia patent; etenim haud rarò obseruamus, congruo tempore, ac debitis obseruatis regulis, extracto sanguine, vehementes, ac ardentes febres vel ex toto extingui, vel magna ex parte diminui, symptomatumq; sæuitatem satis mitescere; hoc multa Galeni testimonia (si nefas non committatur huic viro aliquam præstare fidem) præsertim in 9. Methodi Med. capite 4. & in 1. sect. aphor. 23. satis confirmant; nullum ergo detrimentum ægrotanti, quinimo maximum emolumentum sanguinis detractio afferre valet; ac proinde tale quoque fundamentum elabi apertè conspicitur.

Quò ad tertium spectat fundamentum, afferimus; quòd illa Hippocratis auctoritas de iugulatis ineptè ac dispari ratione ijs applicatur, qui phlebetomantur; & disparitas in duob⁹ consistit: primò quia dum animal iugulatur nõ pauca corripitur formidine, ob quam quidem humores ad cor retrahuntur, ibique veluti ebulliunt ac feruent, atque tunc magis tenues, puri, ac calidi, vti est sanguis rubicundior, veluti prosiliunt, perforamenq; inflictum extra corpus exeunt; parte autem calidiori ac rubicũdiori prius depleta, biliosior ac pituitosior intus in corde remanẽs, recluso adhuc, ac satis patente iuguli foramine existente, inde ne vacuum detur, cor ipsum destituit, ab ipsoque, confertim effluens, è corpore egreditur; hinc obseruamus in animalibus iugulatis initio sensim ac sensim sanguinẽ effluere, progressu verò temporis vberius effundi; quod aliunde haut prouenit, nisi quia ad cor erat ob formidinem retractus; quæ quidem res in phlebotomatis non sic se habet; nam cum metu minimè afficiantur, prædicta sanguinis ad cor retractio haud contingit, sed cuncti humores in naturali suo statu persistunt, crassioresq; ac magis prauitanquam graviores deorsum ad locum venæ incisum prius conducuntur, ac per eundem transeuntes euacuantur; sanguis verò optimus vltimo duntaxat effluit loco, qui quidem occlusa tunc vena intus in corpore remanet: & quamuis aliquando etiam phlebotomatis aliquis accidat timor, cum tamen tàm citò prætereat, non sequitur id quod in iugulatis contingere solet; & si fortè metus diù (sicuti mulierculis sæpè accidit) perseueret, vel nullus, vel pauciſſimus egrediatur sanguis, atq;

In Phlebotomatis prius pravus inde bonus effluit sanguis.

is

is tenuis ac floridus,similis illi,qui è iugulatis primo loco effluit ; nec inde in copia effunditur , ſicuti in iugulatis fit;quia foramen in phlebotomatis, vt in iugulatis , non eſt ita patens , quin cum ſtrictum ſit, craſſiore ſanguine ſuperueniente planè occluditur;hinc chirurgi in expectando ſanguinem tunc egredi,fruſtra tempus conterunt; & hęc eſt prima diſparitas.

Nec dicat aliquis quòd ſanguis bilioſus eſt magis calidus ac tenuis; vnde ſecundùm nos talis priùs deberet in iugulatis effundi,non autem rubicundus , qui ita calidus , vt eſt bilioſus,non eſt ; bilioſus enim cæteris humoribus calidior eſt ; hoc autem ſecundùm Hippocratis verba non contingit ; quia ait, quòd bilioſior ſanguis vltimò effluit ; falſum ergo eſt aſſerere quòd priùs ſanguis magis tenuis ac calidus egreditur . Non valet inquam , talis obiectio ; quoniam penès Hippocratem libro 1.de morbis textu 23.ſupra etiam citato ſanguis bile calidior eſt,ac proinde magis tenuis ac fluxilis;& propterea haud mirum ſit,ſi in caſu prædicto priùs cæteris humoribus , eo modo quo ſupra explanatum eſt, effluat .

Secunda diſparitas eſt;nam in iugulatis ſpiritus deplentur omnes, langueſcunt viſcera , humores commoti ac agitati reperiuntur , naturaq; ipſos non amplius regit, ac gubernat; hinc indiſcriminatim, ſine vllo naturæ ipſius ordine cuncti tàm boni , quàm praui exeunt humores:at in phlebotomatis aliter res contingit: nam & ſi ob morbi violentiam aliqua ſpirituum pars diſſipetur , alij tamen tum remanent , tum regenerantur : viſcera non ſic virtutibus ſuis deſtituuntur : humores non ſic turbati ac commoti exiſtunt: atque natura humoribus ipſis adhuc dominans , prauum prætermittit fluere ſanguinem,bonumq; pro corporis nutrimento retinet,& amplectitur:quapropter diuerſa ratione , varioq; modo in iugulatis ſanguis effunditur , ab eo quo in phlebotomatis artis auxilio euacuatur . Verùm enim verò haud negari poteſt quòd aliquid etiam ſanguinis boni cum prauo ſimul euacuetur : ex hoc tamen non eſt arguendum phlebotomiam pernitioſam eſſe : quia vt Leonardus Botallus, alijque inclyti Medicinæ doctores rectè aſſerunt,plus emelumento ægrotanti praui ſanguinis euacuatio eſt,quàm noxæ,quam parua probi ſanguinis effuſio afferre poſſet:& ſi aliquid vitioſi humoris intus remaneat, natura ab humorum ſarcina,emiſſo ſanguine,leuata, facilius concoquit,corrigit, vel extra corpus vt inutile ſua ſponte detrudit : & propterea in praxi ſæpius obſeruatur , quòd poſt ſanguinis artefactam miſſionem natura aliquam proficuam vel per aluum,ſeu vrinam,aut ſudorem aggreditur euacuationem . miſſio ergo ſanguinis nullius periculi , quinimo maximæ vtilitatis cauſa poteſt eſſe . quòd autem verum ſit nõ eodem modo in phlebotomatis ac in iugulatis ſanguinẽ

effun-

effnadi, Hippocratis ipsius auctoritate probatur, qui in 2.de ratione victus in acutis textu x. de curatione pleuritidis agens, sic loquitur: *internam cubiti venam secare expedit, neque vt cupiosè sanguis detrahatur est cunctandum, sed eousque auferendus, donec rubicundior, ac flauior multùm, vel pro rubicundo liuidus fluxerit, nam vtrumq; contingit,* &c. vbi perpendimus quòd inquit, sanguinem esse auferendũ, donec rubicundior ac flauior fluxerit: ergo intelligit, quòd priùs crassus ac niger, deinde rubicundus effluit sanguis: in libro autem de natura humana ait, quòd in iugulatis priùs calidissimus ac ruberrimus, deinde magis bilioſus ac pituitoſus egreditur; ergo intentio eius est, alio pacto in iugulatis, alio verò in phlebotomatis rem circa sanguinis effusionem se habere.

At contra hoc aduersarij insurgunt, asserẽtes quòd sanguis prauus in pleuritide propter inflammationem priùs effluit, ratione enim inflammationis sanguis in parte inflammata repertus iam vitiatus est, ac proinde à sanguine in reliquo corpore existente differt, cum iste vitiatus non sit: iccirco secta vena e directo lateris laborantis necesse est ob loci rectitudinem, vt sanguis ab inflammatione infectus in locoque inflammato existens prius euacuetur: ille verò, qui bona qualitate præditus in reliquo reperitur corpore, deinde exeat: ergo mirum haud sit, si in huiusmodi inflammationis casu priùs crassus ac niger, deinde floridus ac ruber egrediatur.

At inane quidem est hoc refugium: nam animus Hippocratis loco citato non est materiam fluxam solùmmodo deplere, sed fluxurã quoque reuellere, ac euacuare: ideo e directo lateris affecti venam secandam esse, iubet, vt simul & reuulsio sanguinis fluxuri, & deriuatio iam fluxi eodem tempore fiat: sed in reuulsione non sanguis ab inflammatione vitiatus educitur, sed qui erat in via vt ad partem flueret inflammatam, qui nondum ab eadem inflammatione est vitiatus; ergo falsum est quòd dicunt, sanguinem ab inflammatione vitiatum secta vena in pleuritide euacuari, quasi quòd ille solus in inflammatione repertus duntaxat euacuari deberet. præterea sanguis iam fluxus, ac inflammationis proxima ac immediata causa est, sectione venæ euacuari sanè non potest: & si pars aliqua ipsius aliquando euacuetur, est illa quidem portio, quę vltimo loco egreditur, talis enim sanguis, adhoc vt ex eo inflammatio fiat vel magna ex parte extrauenatur, & hic etiam si tota euacuetur massa sanguinea, depleri quidem non potest, vel portio aliqua in venarum extremitatibus inflammatæ partis residet, qui quidem sanguis vel impactus in eo loco est, & hic quoque incisione venæ haud euacuari potest, sed tum ille extrauenatus, tum etiam iste sic impactus lambitiuis, atque fomentis euacuatur; & propterea Hippocrates in illo libro 2. acuto-

rum citato, & in 4. etiam libro textu 19. post sanguinis missionem eclegmata, & varia topica proponit remedia, vt materia in parte inflammata remanens partim sensibiliter per os, partim insensibiliter per partem affectam euacuetur; vel si modo expósito sanguis impactus non sit, sed non nihil in eo loco fluidus resideat, in magnis inflammationibus a calore præternaturali veluti aduritur, sicque liuidus euadit, & hic est vltimus qui à vena egreditur; & propterea Hippocrates loco citato ait; *auferendus est sanguis, donec rubicundior & flauior, aut pro rubido liuidus fluxerit* nam sanguine fluxuro pro inflāmationis augmento iam toto per venam incisam euacuato, tandem vel floridus ac rubidus, vel liuidus eftluit; si rubidus, signum est totum sanguinem prauum ad inflammationem augendam dispositum, euacuatum esse: vnde tunc tempestiuum est, venam occludere reclusam; si vero liuidus effluat, inditium est, sanguinem non modò à parte affecta lōginquum, sed etiam in eadem existentem euacuatum esse: iccirco tunc non oportet prætermittere vt sanguis amplius exeat; itaq; fluxio sanguinis liuidi vltimo loco apparens sufficientis euacuationis inditium est; quia significatur quòd è parte affecta infectus sanguis iam totus euacuatus sit: quapropter sanguis vltimo loco euacuatus est ille, qui à loco inflammato educitur; ac per consequens vera est nostra assertio, quòd à parte affecta vel nihil euacuatur, vel si aliqua egrediatur pars, vltimo quidem loco effluit.

Secundo responderi potest, (& hæc est responsio contra id quod aduersarij tacitè in prædicta obiectione inferre volunt, scilicet quòd in febribus priùs floridus ac bonus, deinde bilioſus, ac prauus educitur, ita vt sanguis in corpore remanēs totus fit prauus, nempe bilioſus, ac pituitoſus) quòd quemadmodum in inflammatione vena secta e directo partis laborantis sanguis ab eadem inflammatione vitiatus prius educitur; sic etiam in febribus si in venæ incisione eadem partis affectæ seruetur rectitudo, nempe si vena basilica, vel Iecoraria vel splenica, pro febris natura ac spetie, secetur, à corde profectò, aut à Iecore, aut liene, membris in febribus principaliter affectis, priùs sanè sanguis prauus euacuatur; quin faciliùs in his, quam in inflammatione id fit: quia in febribus ita impactus, sicuti in inflammatione minimè existit; quare fatendum est, quòd sicuti in inflammatione, sic etiam in febribus priùs sanguis prauus, deinde bonus educitur.

In sang. missione in febribus vltimo loco bonus humor semper effluit.

Ad auctoritates Hippocratis ex libro de coacis prænotionibus desumptas, pro huius fundamenti tertij robore positas, respondemus, & ad primam sic: quòd in eo loco de pleuritide miti ac spuria verba facit, cui profectò sanguinis missio haud cōpetit; nam nec vrgentia febris, quæ in tali febre vt plurimùm placida est, nec ipsius doloris acuitas id suadet; inquit enim, *dolores iuxta latus*, per latus intelligit

dex-

dextrum vel sinistrum pectoris latus, qui loquendi modus apud Hippocratem est valde in vsu; addit, *tenuiter consiflentes*, per quæ inflāmationem tenuem ac mitem cum pauciſſima febre exiſtere, intelligit. *citra notas* hoc est citra veræ ac legitimæ inflammationis propria signa, *venæ sectio laserit* &c. quasi diceret, cum isti dolores valde parui, ac placidi cum febre sanè minima sint, ac à materia potiùs pituitosa, atque flatulenta proueniant, ita vt nulla adsit suspicio febrem futuro tempore amplius augeri posse, venæ sectionem haud postulāt, sed alijs potius indigent remedijs; & propterea Hippocr. ipse in 2. de ratione victus in acutis hæc præcipit; *lateris autem dolorem siue is per exordia fiat, siue postea, tentare calidis fomentis primùm dissoluere non absque re existit* vbi profecto de spuria pleuritide ex flatu & pituita loquitur: ideo fomentis calidis tanquam remedio causæ inflāmationis spuriæ immediatæ aduerso, dissoluendam esse præcipit; nā infra in textu x. eiusdem libri citati de vera pleuritide agens, non foměta, vt antea fecit, sed venæ sectionem proponit; & in 6. epid. Com. 3. textu 44. ait; *impedimentum in cruenta spuentibus, tempus anni, Phlegmone lateris, bilis*, &c. vbi secundum perdoctam multorum expositionem de leui ac miti loquitur pleuritide; nam mitissimi illi lateris morbi sunt, in quibus cruenta reijciuntur sputa, vt ex Hippocrate 1. sect. aph. 12. colligitur: quarè citra venæ sectionem alijs ingenijs tales morbi curandi sunt; non est ergo mirum si etiam in casu prædicto venæ sectionem lædere monuerit; quod tamen asseruit non ratione febris, vt falsò aduersarij colligunt, sed lateris doloris ratione, tanquam à causa venæ sectionem haud indicante prouenientis.

Ad alteram sic respondetur: quòd ibi de dolore præcipuè oris ventriculi sermonem factitat: licet alia quoque symptomata minoris quidem momenti enumeret, talis autem dolor solet patienti contingere vel cum febre, vel sine febre: si sine febre sit, venæ sectione curari potest, non vt auxilio euacuante, sed potius reuellente, vt scilicet humorum confluxus ab ore ventriculi diuertatur, quod sanè remedium vtilitatem, non damnum afferre potest: nam febre absente vires adhuc in robore existunt, nec earum lapsum ob sanguinis effusionem formidare cogimur, at febre in tali dolore presente tutò quidem sānguinis missione haud curatur; quia vires tum a ventriculi dolore, tū etiam à febre labefactatę sanguinis depletionem minimè sufferre valent: & propterea diuinus Senex in casu tali venæ sectionē prohibet; hoc autem factitat non ratione febris, sed symptomatis ratione, ne scilicet vires magis debiles euadant, quod verba eius subsequentia confirmant: *his febrire nocuum est*, cuius dicti reddit rationem, cum ait *longè enim & vehementes febres fiunt, & tusses, & spiritus, & syngultus* quasi afferet si dolor ventriculi aliique prædicti affectus se-

brem annexam habeant, malum est, quoniam tales febres longæ & vehementes, cum tussi, difficultate respirationis, ac syngultu solent esse, ex quibus patientis vires imminuuntur, ac franguntur, & propterea in hoc casu missio sanguinis haud conducit, ecce ergo quòd & hic non febris ratione, sed doloris ventriculi contra indicantis causa, missionem sanguinis vetat. Hinc periti Medici ex hoc Hippocratis loco edocti nisi dolori ventriculi priùs prouideant, sanguinis missionem in febre haud celebrant, ne scilicet syncope vel omnimoda patientis extinctio emisso sanguine causetur.

Ad quartum fundamentum ex Hippocrate 2. de morbis mulierum textu 1. & sequentibus depromptum, respondemus, quòd aliud est loqui de moderata sanguinis euacuatione lege & opportuna artis mẽsura peracta, aliud verò de immodico fluxu præter naturæ legem ac institutum contingente. primo modo nulla pernities, nullum damnum, quinimo non paucum emergit emolumentum; vt supra probauimus: secundo verò modo varij morbi, diuersaq; symptomata produci solent, quod Hippocrates in 5. sectione aphorismo 58. his verbis indicat: *si menstrua plura fiant, accidunt morbi*: &c. & enim inter alios morbos ex cursus menstruorum superfluitate prouenientes, febris quoque superuenire solet, quoniam hepar aliaque principalia corporis viscera ob talem debilitata fluxum, vitiosos progignunt humores, quos inde haud rectè regunt: hinc humores hi sanguini permixti, naturæque regimine destituti, ferocius insolescunt, non amplius retinentur, sed ad varias corporis partes delati, ac ibi retenti, atque conculcati, inflammantur, labe ac putredine inficiuntur, atque tunc & febris, alijque oriuntur morbi. hinc Auicenna libro 3. fen. 21. tract. 3. capite 2. varios morbos ex immodico mensium fluxu ortos, enumerans, subdit & *quandoque perducit multitudo exitus sanguinis ad dominium choleræ, quare accidunt febres cholericæ mordicatiuæ* &c. ex quibus patet quod superflua sanguinis menstrualis fluxio est causa, vt inde febris alijque producantur morbi: in phlebotomia verò, quæ congruis ac requisitis Medicæ scientiæ legibus celebratur, nec hepar, nec aliud princeps viscus debilitatur, ac perconsequens praui haud generantur humores, atque qui in corpore post sanguinis missionem remanent quieti profecto ac placidi conseruãtur; quoniam sanguis moderatè ac sufficienter emittitur, ergo neq; febris, neque alius morbus emisso sanguine causatur: ac proinde sanguinis in febribus emissio non malefica, quin sacrum existit remedium.

Fluxus mẽsium immodicus febrẽ inducit.

Quintum fundamentum infirmis quidem, falsisque rationibus, ac Auctorum testimonijs nihil aduersus nos concludentibus structum fuit, duæ præcipue in eo fundamento extant propositiones. Vna est,

quòd

quòd Hippocrates in morbis magnis & acutis venam dumtaxat secuit. hanc falsam esse, sic probatur: Hippocrates ipse in 2. libro de morbis textu 71. in morbo nigro cum febre debili venæ commẽdat sectionem. in 2. epidem. sect. 5. in capitis vlcere venam secandam iubet: & in 5. epid. textu 2. in stomachi corrugatione, & dolore cum febricula, de quibus diuturno tempore in Oeniadis uir conquerebatur venam, cunctis alijs remedijs haud conferentibus, incidit, & nihilominus huiusmodi morbi nec magni, nec acuti extiterunt: vlcus præcipue capitis, quod hodierna tempestate a Barbitonsoribus absque sanguinis missione, ac pharmacis, localibus solùmmodò adhibitis, feliciter curatur: ergo falsum est dicere, Hippocratem in morbis duntaxat magnis & acutis sanguinem detraxisse.

Hippocr. etiã in morbis paruis venam secuit.

Altera aduersariorum propositio est, quòd in tumoribus paruis, in leuibus inflammationibus, ac in febribus intermittentibus, continuisque, nullum caloris natiui extinctionis periculum existit, &c. hanc quoque propositionem veritatem haud continere, sic demonstratur. morbus quilibet, vt morbus, cum aliquo periculo, nisi præsente, saltem futuro, semper est, ex paruo igne magnum fieri, inquit Aristoteles: morbus enim est affectus præter naturam immediatè actionem vitians, actione autem læsa excrementa generantur, natura grauatur, ac morbus inualescit: hinc febres mites ac paruæ in morbos acutos non raro degenerant, auctore Hippocrate libro de affectionibus textu 12. Præterea in febribus continuis nonne extinctionis caloris natiui periculum adsit? extat vulgaris aphorismus 43 in 4. sect. *febres quæcumq; non intermitentes tertia die fortiores fiunt magis periculosæ.* nonne in his febribus vigiliæ pertinaces, vehementes capitis dolores, graues mentis alienationes, comatosi affectus, ardens sitis, perurentes calores, assidui ventriculi morsus, syngultus, vomitus, ac anxietates, frequens cordis palpitatio, difficultas anhelitus, modesta corporis huc atque illuc iactatio, aliaque læua symptomata miserum tandem ægrotantem ad interitum perducant? vtinam sane tot in febribus pericula haud adessent: illa ergo iam indicata propositio procul a veritate distat. Falsis itaque his propositionibus suppositis, falsum quoque id, quod ex his concludunt, remanet, nempè a febribus sanguinis detractionem eliminandam esse, cum periculum in illis extinctionis caloris natiui haud imminear. falsum, inquam est, quia in febribus intermittentibus nisi præsens saltem futurum immineat periculum quare in his sanguinem detrahere non est cunctandum, vt imminentis periculi incurium securius fugiamus. Hinc Ioannes Fernelius libro 2. de venæ sectione capite 6. existimat, quod tutius est morbo imminenti, quam eodem præsente, sanguinem mittere: atque hoc & auctoritate Hippocratis probat, alijsque quod

Tuta est missio sang. in spurys in mittendo tibus.

quòd insilientes vel imminentes morbos sanguinis missione anteuertere, non illorum incursum, applausumque expectare, oportet, & etiã ratione quæ talis. quum morbus est genitus, vires præsentia eius attenuatæ, vix citrà detrimentum iustam sanguinis missionem sustinere queunt, ergo antequam morbus grauis euadat, expedit sanguinẽ detrahere; in intermittentibus itaque febribus vt ægrotantem à grauioribus præseruemus morbis sanguinem mittere tenemur. in continuis etiam magnum adesse, maximumque amplius impendere periculum, manifestum est: quapropter in his tum ob præsens, tum etiã ob imminens periculum sanguinis detractio, vt remedium tam curatiuum, quàm præseruatiuum, haud derelinquenda est. hinc Hippocrates in illo 4. acutorum iam etiam citato sanguinem in febribus ardentibus detrahere, non est veritus. absque vlla ergo ambiguitate sanguinem in febribus oportet mittere.

Botalli responsio cur Hipp. præsente febre in quibusdã morbis venam non secat.

Sed quid ad illas Hippocratis auctoritates in 2. epid. sect. 5. in quibus totus prædicti fundamenti vigor consistit, asseramus? Leonardus Botallus libro de sanguinis missione idem proponit dubium, scilicet cur Hippocrates in capitis vlcere, aphonia, aliisque morbis ibidem indicatis si absque febre sint, venam secat: quod sic soluit: si in illis morbis citra febrem venam secandam Hippocrates imperat, id præsente febre præstandum multò magis intendit: quia febris missionem sanguinis requirit: itaque mens auctoris est, non febrem sanguinis missionis quid contra indicans esse, sed quia aliquis poterat dubitare, an febre absente vena esset incidenda, ideò hanc addidit particulam, *si non febricitet*, quasi aslerere vellet, etiamsi febris non adsit, venam quidem oportet incidere.

Mercurialis responsio.

Sed & alio modo, forsitanque meliori responderi potest: & primò quod ad vlcus attinet Hieronymus Mercurialis in 2. Libro Epidemiorum in huius loci expositione idem mouens dubium, sic respondet: in vlcere capitis cum fractura copiosa sanguinis effusio contingere solet, quæ sanè vires valdè debilitat, huic si febris superueniat, vt sæpè accidit, ob huiusmodi symptomatis aduentum vires adhuc magis infringuntur, ac langueſcunt: in tali autem virium languore, venæ sectio nequaquam conuenit, ne omninò cum patientis interitu elabantur: & propterea dicit Hippocrates, *internas venas secato si non febricitet*, quia febre absente timor non est, vires ob venæ sectionem valdè debilitari, itaque non respectu febris, sed suppositæ virium debilitatis causa, venæ sectionem in eo casu vetare intendit.

Auctoris responsio.

Nos alio pacto locum illum interpretamur, ac ad dubium respondemus: in vlcere dum pus conficitur, febris solet superuenire, iuxta illud Hippocratis in 2. sect. aph. 47: *dum pus conficitur dolores ac febres*

bres accidunt magis, quàm iam confecto: tali autem tempore natura ad puris confectionem tota intenta est, quarè tunc Medici opus est eam potiùs digestiuis emplastrisque adiuuare, quàm alio modo à suo distrahere officio: sed venæ sectione natura à tali opere maximè distrahitur, ergo si febricitet, quia scilicet signum est tunc pus confici, naturāq. ad ipsius confectionē iam solicitam esse, ideò venam non oportet secare, ne damnum (aliunde natura distracta) sequatur: iurè ergo Hippocrates ait: *venas secato si non febricitet* sicque non propter febrem, sed ne natura in conficiendo pure à suo diuertatur opere, venæ sectionem respuere animus eius est.

Mercurialis responsio cur Hippoc. in aphoniam non secat venā.

Quod ad aphoniam spectat Mercurialis in eodem iam citato libro illum locum sic exponit: aphonia, de qua Hippocrates loquitur, venis & arterijs sanguine alijsque humoribus prauis repletis, oriri solet; huic si febris superueniat morbus soluitur, iuxta illud Hippocratis in 5. sect. aph. 5. *si ebrius quispiam repente obmutuerit, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur* &c. quia febris omnium morborum ab humorum multitudine est remedium: dicit ergo Hippocrates *quicumque voce de repente destituantur, si sine febre fuerint, ipsis venam secato* intelligens per hęc verba quòd si febris adfuerit, non oportet venam secare: quoniam febris pro huius affectus curatione est remedium sufficiens, nec alio indiget remedio: humores enim crudos ac pituitosos sanguini permixtos venasque intercipientes sua natura absumere, atque exsulare potest. itaque si aphoniæ febris coniuncta sit, venę sectionem, non vt a febre ipsa contra indicatam, sed tanquā superfluam mens Hippocratis est interdicere.

Auctoris expositio, & responsio.

Hæc expositio verisimilis quidem ac ingeniosa est, nos tamen alium illius loci sensum esse excogitamus. aphonia vel sano homini contingit, vel laboranti iam febre, & quidem continua vel mali moris. in primo casu non est cunctandum statim sanguinem mittere, quia vires sunt validæ: in secundo casu minimè sic agendum: nam ob febrem, siue continua solùm, siue etiam mali moris sit, vires sunt valde fractę quare si sanguis detrahatur, planè dissoluuntur; nos nouimus Iuuenem procerum ac fortem de febre continua conquerentem, qui post alia symptomata in aphoniam incessit, perseuerante tamen pulsu pleno ac valido sanguis eidem (hoc Hippocratis dogmate contempto) perperam extractus est: vnde triduo à sanguinis detractione elapso, viribus planè elapsis extinctus fuit: sicque Medicus ille patientis iugulator nuncupatus est. Ne ergo talis contingat error, Diuinus senex iure optimò illam particulam, *si sine febre fuerint* addidit. quòd autem hęc sit Hippocratis mens, patet: quia in libro de victus ratione tex. 37. hęc habet, *vt aliquis de repente voce priuatus fiat, venarum interceptiones faciunt, si sano hoc contingat absq;*

Historia.

manifesta aut alia forti causa, venam igitur secare oportet, ecce quòd in aphonia viro sano contingenti nullo alio addito consilio venam secandam iubet; in illo verò 2. epid. quia verbum *sano*, non subiunxit, ideò vt Medicum cautum reddat, addidit, *si sine febre fuerint*, quasi assereret, si sano homini aphonia accidat, & febris absit, tutò vena est secanda; quia vires pro hac operatione sufficientes sũt: si verò æger talis febricitet, nequaquam aperienda est vena; nam dubium est post sanguinis effusionem ob febrem vires infringentem ægrum ad interitum tandem perduci: itaque non febris, sed virium insufficientiæ causa venæ sectionem in tali casu inhibere Hippocratis propositum est.

Ad primam Auicennæ auctoritatem respondemus, quod phlebotomia ab Auctore hoc minimè in ea febre reprobatur; quinimo vt patebit, satis commendatur; eius verba, ab aduersarijs prætermissa tanquam ipsorum propositio contraria, sunt hæc; *cum causa est multitudo humorum, & repletio, tunc oportet vt in principio properes ad phlebotomiam, & euacuationem*, per quæ verba necessitatem phlebotomiæ in febre illa significat; subiungit inde, *& vt phlebotomes eum cum iam non febrit, tunc est melius*, per quæ quidem præceptum traditum haud reuocat, sed nouum nobis tribuit dogma, & est, quòd phlebotomia debet fieri cum iam ægrotus non febrit, hoc est vel ante paroxysmi inuasionem, vel post ipsius declinationem, nam ex Hippocrate 1. sect. aph. x. *in accessione abstinere oportet*. intelligit enim senex per ea verba non duntaxat à cibis, verùmetiam à medicamentis soluentibus missioneq; sanguinis esse abstinendum, & Auicennas ipse in 1. 4. tract. 2. capite 7. ait: *& non moueas in die paroxysmi aliquid quantum possibile est tibi, neque curesfebrem*, huius ergo præcepti haud oblitus ne ægrotantis afflictioni noua addatur afflictio, in paroxysmi hora haud phlebotomandum monet; hanc autem Auicennæ mentem esse, subsequentia ipsius declarant verba; *& quando febrit si non fuerit necessitas, tunc statio est magis conueniens*, quasi diceret, optimum est in paroxysmo vt à phlebotomia abstineas; vrgente tamen necessitate etiam præsente accessione, ne damnum patienti occurrat, cum occasio præceps sit, absque vlla cunctatione oportet phlebotomare; itaque Auicennas non à febre, sed à febrili paroxysmo phlebotomiam intendit excludere.

Ad secundam Auicennæ auctoritatem respondemus, quòd verba Auicennę citata minimè de quolibet causonide accipienda sũt, sed de eo tantùm in quo pura & syncera bilis (si tamen detur) absque vlla sanguinis mixtione peccat: in quo quidem cum nullum sanguinis vitium adsit, ideò inquit, *& fortasse inflammabit eos* hoc

est

est phlebotomia in tali febris spetie inflammabit, causans scilicet humorum cholericorum ebullitionem; at quia non rarò caufon datur febris, in qua bilis vel pituita salsa sanguini est permixta, & in ea profectò ob peccantis sanguinis subdominium phlebotomia perutilis est, propterea post prædicta verba, subiungit, *& fortasse iuuabit eos, si fuerit illic turbiditas aquæ & rubedo*, nempe si vrina rubea & crassa sit, indicans bilem vel salsam pituitam sanguini esse permixtam, tunc quidem phlebotomia in tali febre iuuat: ecce quòd phlebotomiam à Causonide nequaquam excludit, sed cum conditione loquitur, vt Medicus non nisi inditijs peccantis sanguinis apparentibus phlebotomiam aggrediatur: ac per consequens fatendum est, quòd Auicennas & si in quibusdam Medicinæ difficultatibus variam à Galeno habuerit sententiam, in hoc nihilominus (scilicet quòd in febribus oportet sanguinem mittere) ab eodem nullatenus recessit, & sic fundamentum quoque hoc & si tanti ponderis ac fortitudinis fuerit, omni tamen ex parte fractum ac diuulsum remanet.

Auic. non negat phlebotomiã in Causonide.

CONCLVSIO.

Hippocrates in febre essentiali Sanguinis missionem nunquam contempsit.

EX quibus omnibus hactenus à nobis assertis cõcludimus quòd quando Hippocrates in proponenda alicuius morbi curatione quit, si non febricitet venam secato, haud intelligit febrem sanguinis missionis quid contra indicans esse, seu id non asserit, quia in ebribus sanguinis missione nunquam vsus est, sed quia vel morbus ille, vel vitium insufficientia, vel aliquid aliud missionem sanguinis nequaquam exposcit: falsa ergo est illa præcipua aduersariorum propositio, quod Hippocrates in febribus nunquam sanguinem detraxit: nam & si clarè apertis atque vulgaribus verbis id haud fecerit, concisо tamen sermone ac aphoristico stylo, vt semper mos eius fuit, hanc rem quidem præstitit, vt iam apertè exploratum est, hinc expressum etiam est, quòd nullus reperitur locus, in quo febre sola proposita vt essentiali, non vt symptomatica, asserat phlebotomiam eidem haud conuenire, sed semper morbum aliquem, cui febris vt symptoma annexa sit, proponit, & tunc ait, venæ sectionem lædere: ergo intendit læsionem illam à morbo seu symptomate missionem sanguinis haud expostulante, & non a febre procedere, quia si ratione febris id diceret, etiam sola proposita febre absque morbo seu aliquo symptomate idem pro-

fecò asseruisset: at cum hoc nunquam fecerit, sequitur quod vel ob morbum illum, vel symptoma aliquod, ex his quæ sanguinis missionem contra indicant, vel ob vires, seu propter aliquid aliud sanguinis missionem interdicere intendit, scimus equidem hæc viris aduersæ sententiæ haud ignota esse: nihilominus ea quidem & conticent, & simulant, vt proteruæ in contemnendo Galeno auiditati faciliùs satisfaciant. Nunc tempus propterea est, vt ad deprimendas aduersùs hunc eximium ac innoxium virum contemptiones, nostra vertatur oratio.

Gal. Hippocratis imitator.

Galenus in cunctis suis operibus fixa Hippocratis vestigia pressis pedum signis premit, ac sequitur. Et quidem Diuinus Senex in illo 4 aphorismorum textu 35. posito illo aureo circa phlebotomiam dogmate, subiungit, *si vehemens appareat morbus, & qui ipsum habeant, in vigore ætatis fuerint, & robur ipsis adfuerit*, Galenus ergo ad huius dogmatis imitationem post illud vniuersale præceptum in libro de curatione per sanguinis missionem, & in xi. Methodi iam propositum eas ab aduersarijs enarratas exceptiones tum ibidem tum alibi subpectit, & sane si in humorum crudorum redundantia missionem sanguinis interdicit, si habitum mollem, & rarum, si ætatem senilem & puerilem, si alui fluxum, vomitum, cardialgiam, conuulsionem, vigilias, aliaque huiusmodi particularia ab illo generali præcepto excipiat, ob virium quidem factitat insufficientiam: nam verbi gratia in habitu raro ac molli cum spiritus ac substantia alimentalis facilè exhalant, si sanguis emittatur, timor est, vires vsque ad morbi declinationem haud sufficere: sic in alui fluxu, vomitu, cardialgia, vigilijs intensis, magnis doloribus, vires tum à febre tum etiam a symptomate fractæ sunt, his si sanguis detrahatur, easdem quidem planè elabi, facile erit: iccirco in his inconuenientem sanguinis missionem existimat; ecce quòd quotiescumque sanguinis detractionem prohibet, ad vires iem per habet respectum, sicuti & ipse fecit Hippocrates: ergo Methodus ipsius curatiua diuini Magistri methodo tota consonans est: nullam ergo culpam, nullam redargutionem ob id meretur. Præterea crudis iam collectis humoribus si febris superueniat, propter duo missionem sanguinis uetat: primò quia febris in tali casu diuturna futura est, ob morbi autem diuturnitatem vires maxime debilitantur, quare ne priusquam febris declinet vires concidant, a tali opere desistendum, hinc antequam febris apprehendat, euacuandum esse monet: quia tunc vires elabi, nulla est formido: nequaquam uerò febre ipsa superueniente; quia ob eius præsentiam si sanguis mittatur, vires ipsę magis eneruantur, quod sane non mediocre ęgrotanti damnum afferre potest. Secundò quia si in febre crudi abundent humo-

res,

res, nisi ipsis coctis, ne sanguine extracto cruditates in uenis rapiantur, ac maiores causentur obstructiones, missio sanguinis haud oportet celebrari. Ad hanc humorum cruditatem Auicennas respiciens in 1. libro Fen. 4. doctrina 5. capite 2. inquit, *in principio penitus phlebotomia dimittatur*, quasi diceret, oportet humorum crudorum concoctionem expectare: ergo in principio in quo humores sunt crudi extractionem sanguinis oportet dimittere. Sic & in conuulsione noxiam sanguinis effusionem esse arbitratur: nam & à membrorum concussione & à febre vires satis infirmæ euadunt, & adhuc si sudor accidat non rarò solitus superuenire magis ac magis debilitarentur: hinc si sanguis educatur, & sudor inde contingat in tam viriũ imbecillitate magnum impenderet periculum ægrum tandem extingui: Nos uirum ualde robustum conuulsione cum febre laborantem inspeximus, cui detracto sanguine, ac inde copioso superueniente sudore, postero die e uiuis decessisse, hunc forsitan ut Hippocrates remoueat errorem in 2. epid. sect. 5. in fine tale nobis omisit præceptum, *in conuulsione digitorum manus citra febrem venam secato*, quod quidem dogma Galenus imitatus est, dum monuit in conuulsione sanguinem haud esse detrahendum: ecce quòd Vir hic in cunctis doctrinæ Hippocraticæ omninò architectatur, haud absque ergo ratione à prædicto generali precepto explicatos iam excepit casus. Preterea eius mens non est ab illis casibus missiouem sanguinis absolutè arcere, sed potiùs Medicum cautum reddere, nempe ne audacter, sed cum præmeditatione, & non nisi parcè, ac per epycrasim, in ijsdem sanguinis detractionem aggrediatur, & quòd res ita se habeat, patet ex ipso Galeno libro de sanguinis missione capite 9. supra etiam indicato, ubi postquam uarios excepit casus in quibus suspectam censuit sanguinis eductionem, subiunxit, *coindicant autem hæc sanguinis quantitatem, non ipsam sanguinis detractionem*, ecce quòd ab illis casibus non missionem sanguinis, sed minorem seu maiorem sanguinis effusionis mensuram interdicit. & in 9. Methodi Medendi capite 17. de puerorum ætate loquens addit: *quominus vacuantis præsidij æget, cum habeat ex se ipsa vnde naturaliter euacuetur*, ecce pariter quòd ab hac ætate euacuationem prorsus nequaquam eliminat, sed per ea uerba, *quominus vacuantis* &c. intelligit in hac ætate magis parcè quàm in floridis esse euacuandum. Insuper regionem postea calidam, & tempus impensè calidum prædicto sermoni subnectens, ait: *itaque etiam huius causa ijs, qui sanguinis detrahendi agent, aut prorsus venam non secabimus, aut parùm detrahemus*. Ex quibus satis explosum est Galenum a prefatis casibus sanguinis detractionem absolutè nequaquam excludere.

Historia.

Tandem in illo capite 9. primo ad Glauconem missiouem sanguinis

guinis omninò conticuit, quia ut iam indicatum est,in puris & exquisitis febribus cum uitium desit sanguinis,ipsius detractio minimè conuenit; hinc de spuria postea tertiana agens in capite x.ipsius sanguinis missionis haud oblitus fuit: quoniam in spurijs ob sanguinis peccantis subdominium tutò sanguis extrahi potest: quando ergo Galenus in aliquo casu missionem sanguinis conticet,non absque ratione id præstare cogitandum est ; hunc ergo virum inconstantem esse immeritò arguunt; quia nulla comittitur inconstantia ab vno supremo genere vel ea quę non continentur planè excludere vel ea quæ continentur, si inter se per aliquod accidens differant , distinguere , ac signare; modò Galenus ab illo generali præcepto circa sanguinis missionem, febres exquisitas ac puras omninò excludit; inde alias, quæ cum vel sine symptomate existunt, perpendit, ac distinguit, dicens in febribus, quibus aliquod symptoma, ex ijs quæ missionem sanguinis contra indicant,haud iungitur,audacter sanguinem esse detrahendum in illis verò in quibus aliquid tale existit, minimè sic, sed cum cautione, ac non nisi necessitate vrgente, tuncque parcè ac per epycrasim agendum, talia igitur nisi expressè, saltem implicitè Galenus in prædictis tradendis pręceptis reuera intelligit, in qua quidem re si syncero iudicetur animo nulla conspicitur incōstantia, quinimo summa ingenij acuitas, magna solertia, inexplicabilis docendi posteros cupiditas, ac peculiaris demonstratur prudentia, valde propterea errant asserere secundùm eius dogmata vix casum dari in quo sanguinis detractio conueniat, quia reperiuntur iuuenes,vel in ætate consistentiæ constituti , seu sexagenarij habitus densi mediocriter carnosi, tempore verno, seu autumnali,vel etiam hyeme, aut æstate miti, vt ſępius contingit, regione mediocriter calida vel frigida febribus continuis, vel continentibus, seu spurijs intermittentibus, laborantes, quibus si absque cunctatione Medicus sanguinem extrahat, breui sanè tempore sanitatem ijsdem restituet, si verò plenus formidine venæ sectionem tanquam quid horrendum fugitet, ac pharmacis, inædia extrema, potionibus refrigerantibus, alijsque huiusmodi vulgaribus pręsidijs talium aggrediatur curationem, vel eos ad necem tandem perducet, vel febres quam diuturnas cum non pauco ęgrotantium detrimento profecto reddet. Hæc quotidiana animaduertimus experientia, hęc febres hecticę,obstructiones,hydropes,cachexię, viscerum tumores, ac intemperies ex febris diuturnitate propter iam non extractum sanguinem ortę, testantur ; hęc ęgrotantium exclamationes de febris longitudine sponte ac dolose ob sanguinis retentionem commissa,cofirmant; hęc ipse sensus, nobis etiam silentibus , comprobat: quarè hoc orationis stamen scindere expedit ; nam *huius rationem quærere dimittentes*

Gal. non in constās sed auidus posteritati benefacere fuit.

Mala ex denegata sanguinis missione.

sensum

sensum, infirmitas quædam est intellectus, ita Philosophus 8. libro Physicæ auscultationis textu 22. suos admonuit discipulos.

CAPVT OCTAVVM.

Secundæ sententiæ rationes diluuntur.

QVamquam Viri illi ingeniosè ac subtiliter iam indicatam comprobant opinionem: nihilominus ipsos quoque à recto veritatis tramite recedere, ex iam discursis perspicuum est. & quidem vbi indicans & permittens mittendi sanguinis desunt, ibi missio sanguinis nequit celebrari, sed in tertiana exquisita, cæterisque puris intermittentibus indicãs deest, cum vitium solùm in humoribus à sanguine alieniſſimis existat, in hecticis verò nec indicans nec permittens adest, cum pars affecta solida sit substantia, ac ob eius consumptionem vires langueant; igitur in his sanguinis detractio procul dubio inconueniens est; iam enim auctoritate Galeni in 4. de tuenda valetudine satis superque confirmauimus, tunc duntaxat sanguinem esse detrahendum, quando humores peccantes plus vel minus sanguini sunt permixti, nequaquam verò vbi plurimùm à natura eius recedunt; modò in prædictis febribus humores quàm plurimũ à natura sanguinis distant; ergo *in his aduersissima sanguinis* euacuatio censeri debet. *Hinc* Ioannes Fernelius *lib. 2. de venæ sectione* capite 6. quamuis & ipse quoque in missione sanguinis liberalis fuerit; nihilominus exquisitas intermittentes febres sanguiuis extractione haud quaquam rectè curari, existimat. Præterea quomodo ab Hecticis sanguis depleri possit, si ipsi sanguinis vbertate destituti, sanguine ipso indigeant in his profectò membra extenuata sunt, vires languent, & si in principio aliquo pacto rectè constent, in dies tamen sensim ac sensim consumuntur, ac tandem omninò elabuntur; quare ad hoc Medicus animum vertere debet, ne ob virium robur in posterum elapsurum sanguinem audeat extrahere: quemadmodum enim in victu tenui instituendo ex Hippocrate & Galeno 1. sect. aph. 9. & 2. de ratione victus textu 37. vires non duntaxat præsentes, sed etiam futuras inspicere fas est, vt scilicet conuenienter & opportunè vel adijciatur cibus, vel subtrahatur, ne vires simul cum morbo denique finiant; sic pariter in sanguinis missione instituenda & vires, quas tempore extractionis æger possidet, & quas post ipsam habebit, per perpendendæ sunt, an scilicet cum illis vsque ad febris declinationem ægrotus perdurare possit nec ne, nempe vt admittatur sanguinis missio, vel dimittatur; at si quis uires hectici etiam in-

prin-

principio perfectè perpendet, insufficientes fore vsque ad morbi declinationem profectò reperiet; nam pars affecta in hectica spermaticæ partes sunt, quæ quotidiè liquefiunt, ac consumuntur; hinc vires magis imbecilles fiunt, si autem sanguis detrahatur, adhuc magis ipse vires debilitarentur, nec vnquam refici valerent; quia partes spermaticæ ex omnium medicorum consensu, Hippocratis præcipuè 6. aphorismorum 19. minimè restaurari valent, propter ergo virium insufficientiam hecticis sanguinis missio haud conuenit.

Nec rationum vis ab aduersarijs adductarum ab hac vera & firma sententia nos distrahere valet; nam ad primam respondemus, quòd non modo missio sanguinis est remedium refrigeratorium, sed pleraque alia, quorum quædam sunt per accidens refrigerantia, quædā per se; per accidens sunt verbi gratia pharmaca tum lenientia tū etiā purgantia, hæc euacuando humores calidos peccantes, per accidens corpus vniuersum refrigeratur; per se verò sunt lac, serum, cichoracea, fragmenta frigida & similia, quibus, (dum aliquid in febre missionem sanguinis contra indicat, vt febris indicationibus, quæ sunt refrigerare & humectare, satisfiat) tutò vtendum est, modò in exquisitis febribus puritas ac synceritas humoris peccantis à sanguine alieniſſimi, in hecticis verò virium imbecillitas nisi præsens saltem futura, missionem sanguinis contra indicant: ergo talibus sanguinis detractio nullo modo competit.

Ad confirmationem dicimus, quòd in exquisitis febribus & si virium adsit robur, quod sanguinis missionis permittens est; deficit tamen ipsius indicans, quod est vitium sanguinis; sic in hecticis vires quamuis in initio aliquantulum benè se habeant, progressu tamē temporis valde infirmæ euadunt, nec vnquam reficiuntur; & propterea in his pernitiosa sanguinis detractio existit.

Ad secundam rationem respondemus, quòd cum sanguis illam impuritatem haud habeat, nequaquam est extrahendus; cur enim reijci debet, quod non est vitiatum? equidem qui id factitaret, eundem committeret errorē, quem inexpertus Chirurgus in abscindenda, vice ægræ ac putridæ, carne sana ac optima, committere solet, in prædictis autem febribus totus sanguis optimus est; quia in tertiana exquisita verbi gratia sola peccat bilis, in hectica partes solidæ affectę sunt, sanguis igitur totus sanus est, ac proinde non parum erraret, qui eum euacuaret. Nec valet quod asserunt simul cum sanguine etiam vitiosos ac impuros euacuari humores; quia etiam si vniuersum exhauriamus sanguinem, tota illa humorum impuritas haud euacuaretur; quare pharmacis vel rectificari, vel expurgari expedit, pharmaca enim solos impuros ac prauos educunt humores; at si sanguis mittatur plus boni quàm praui, cum nullum vitium in san-

guine

guine sit, profectò educitur, bono autem sanguine euacuato, ac vitioso intus remanente, in tertiana cholericorum ebullitio, in quotidiana ac quartana humorum infrigidatio, in hectica (eo humore ad nutritionem inepto existente) maior quàm priùs atrophia subsequitur.

Respondetur secundò quod hectica dupliciter ex Galeno 10. Methodi capite 5. solet gigni, vel enim à principio solidas partes in calidis siccis ac squalidis temperamentis post labores, inædiam, immoderata exercitia, & similia, calor febrilis obsidet, vel in febribus putridis, ardentibus præcipuè, calor sensim ac sensim partibus solidis communicatur, ipsisque inseparabiliter inhęret: primo modo hectica spectata nullam in se humorum habet impuritatem, quia ab initio vitium in solida substantia contractum est, nec in venis quidpiam impuri existit. Ego habui Iuuenem hac hecticæ differentia laborantem, cui, cum fortuitu sclopeto vulneratus esset, ob reuulsionem ad inflammationem arcendam, statim initio sanguinem extraxi, sanguisque ille a me bene obseruatus, ita ruber ac floridus fuerat, sicuti sanis solet esse: in tali ergo hecticæ differentia impuri in venis humores minimè existunt, quapropter in hac etiam penes aduersariorum doctrinam, asserentium, vbi est humorum impuritas sanguis extrahendus, missio quidem sanguinis haud competit. Secundo autem modo hectica sumpta concedimus, in ea humorum impuritatem existere: nihilominus in hac (vt etiam illi viri fatentur) sanguinis detractionem vires nequaquam sufferre valent; quia tum à putridarum febrium vehementia, tum à præsidiorum in ijsdem administratione fractæ, ac concussæ amplius aliam euacuationem sustinere non possunt: ergo etiam in tali hectica sanguinis missio inconueniens est, ac proindę in qualibet hecticæ differentia nullo modo sanguinem oportet detrahere. *Historia 2.*

Ad Hippocratis, & primam Galeni auctoritatem vnica responsione satisfacimus, Hippocrates enim in illo 5. Epidemiorum ad diuertendam materiam heterogeneam à lecore, ac Liene ad ventriculum confluentem, ibique dolorem ac corrugationem ipsius excitantem, Galenus vero loco illo citato ad reuellendos humores salsos à capite ad pulmones fluentes, ipsosque erodentes, sanguinis extractionem allaudant, ac amplectuntur; Galenus enim Libro de curandi ratione per sanguinis missionem capite x. etiam corpore inanito pro reuulsione sanguinem emittit; cogimur namque in Medicina ad maiora euitanda mala reuulsione aliquando vti; modò in hectica simpliciter considerata, non cum alio morbo complicata, reuulsione opus non est; cum calida & sicca intempe-

ries

ries ſolidæ inhęreat ſubſtantiæ, nec ab ea etiam ſi totum exhauriamus ſanguinem, ſeparari poteſt: ergo ſuperflua in tali febre, quinimò damnoſa ſanguinis extractio eſſet, ac proinde iſtæ auctoritates nihil aduerſus nos pugnant.

Ad ſecundam Galeni auctoritatem dicimus, quòd præceptum in xi. Methodi traditum eas duntaxat febres continet, in quibus indicans atque permittens exiſtunt, modò in tertia exquiſita ac aliis puris intermittentibus, atque hecticis, nec indicans nec permittens mittendi ſanguinis adſunt: ergo ab illo generali præcepto reuera ſunt reijciendæ: & ſic hæc quoque auctoritas noſtræ opinioni haud opponitur.

Nec hiſtoriæ à prædictis viris allatæ quicpiam aduerſus nos concludunt; nam vel hecticæ illæ veræ hecticæ non fuerant; arduum enim eas, initio præſertim, rectè cognoſcere, in hocque viri magni non rarò decepti ſunt, tertianæque illa pura ac exquiſita haud extiterat; ſæpè enim impura pro exquiſita reputatur, vel ſi tales (vt ab aduerſarijs deſcribuntur) fuerint, felix illa curatio potius fortunæ, quàm rationi adſcribenda eſt; illis autem quæ fortuitu contingunt, cum auctore Ariſtotele. 2. phyſicorum capite 5. incerta & variabilia ſint, Medici prudentiæ fidere haud licet; hinc etiam Hippocrates in 2. ſect. aph. 27. hoc prodidit præceptum, *his qui non ex ratione leuius ſe habent non oportet fidere*, &c ab incerto ergo ac raro talium hiſtoriarum exemplo prudens Medicus haud perſuadendus eſt, ſanguinem in his febribus, in quibus nec indicans, nec permittens mittendi ſanguinis reperitur, detrahere.

Inepta autem ac falſa eſt illa reſponſio allata ad ſoluendam obiectionem aduersùs eoſdem aduerſarios propoſitam: nam Galenus, qui alias in Medicina fuſa ac prolixa oratione non aphoriſtico ſtylo, vt Hippocrates fecit, cuncta propoſuit, ac explanauit, rem tanti momenti, vt eſt miſſio ſanguinis, tanquam ſuppoſitam ob illud vniuerſale præceptum in xi. Methodi relictum haud conticeret; ſed id fecit, quia reuera in tali febre miſſio ſanguinis non competit. Præterea ſi miſſionem ſanguinis in ea febre proponere prætermiſiſſet, vel quia indicatum iam præceptum ſuppoſuit, vel quia Clauconi viro docto conſcribebat, idem etiam in tertianæ ſpuriæ curatione in capite x. eiuſdem citati libri profecto præſtitiſſet; ſed id minimè fecit, quinimo expreſsè ſanguinem in eadem extrahendum eſſe præcepit; ergo fatendum eſt, in tertiana exquiſita miſſionem ſanguinis Galenum conticuiſſe, quia reuera in ea bilis à ſanguine alienißima ſolùm peccans, illam nequaquam exigit, à primo ergo ad vltimum luce meridiana clarius eſt, hanc horum virorũ opinionẽ tanta ingenij ſubtilitate ſuffultã procul valde à veritate diſtare.

FINIS.

TRVTINA MEDICA

De Vini exhibitione in Febribus.

A

GEORGIO CORTACIO

Cretenſi Philoſophiæ ac Medicinæ D.
Extructa.

INTRODVCTIO.



Data eſt vini vis ac virtus, vt non duntaxat ad vires reficiendas: ſed ad corporis fortitudinem explorandam, ingenij obtuſitatem acuendam, prudentiam perficiendam, atque memoriam confirmandam ſummoperè valeat. hinc magnus ille Macedonum Rex vinariæ A. potationis certamen inſtituit, ac coronam victori propoſuit. hinc Spartanæ Mulieres vino B. infantes ſolebant abluere, experimentum quoddam ipſorum habitudinis facientes. hinc Veteres C. Palladem Liberi ſororem eſſe, ſacraque horum numinum templa, ac altaria ſimul iungi, non abſque intima veritatis medulla finxere. hinc quædam Celebres Nationes de rebus magnis ac ſerijs, ac de recto Regni regimine plerumq; in conuiuijs conſultant, ac diſputant: de quibus ille D. ſic effatur: *deliberant dum fingere neſciunt, conſtituunt dum errare non poſſunt.* Verùm enim vero ſicuti tot ex vna vtilitatum, ſic ex altera parte pluriũ malorum cauſam eſſe, experientia conſtat; propterea Plinius E. vinum venenum, vel quid bonum eſſe, & Ariſtoteles F. prudentiam, vel furorem cauſare, iurè meritò prodiderunt. Equidem ſi ſano viro congruo tempore, idoneaque menſura præbeatur, męſtum lætificat cor, G. Conſtrictam exhilarat mentem, turbidos recreat ſpiritus, infirmum roborat ventriculum, H. tremula membra firmat, innumeraque alia inducit beneficia, quæ Poeta K. ille his carminibus ſummatim deſcribit.

Vina parant animos, faciuntque coloribus aptos,
Cura fugit, &c.

At ſi quis exuberanter eodem vtatur, contrarios quidem progignit effectus; quos latinus Poeta ſic reſtringit;

Vt Venus enervat vires, ſic copia vini,
Et tentat greſſus, debilitatque pedes.

A *Plutar. in vita Alex.*
B *Plutar. in vita Lycur.*
C *Alciatus in 23. Emblem.*
D *Tacitus de more Germanorum.*
E *lib. 23. c. 1.*
F *3. Probl. 1.*
G *Dauid pſ. 104.*
H *Plin. lib. 23. cap. 1.*
K *Ouid. 1. art.*

Et Parmenones Bizantius Cæsare Capaccio L. referente statum eius his versibus pra depinxit;

L
In 25. Embl. animad. sione 25.

Qui vt equus aquam, homo vinum haurit,
Scythicè loquitur, etne Καππα quidem agnoscit
Mutus iacet; &c.

Et si homini de febre conquerenti perperam concedatur, adhuc maiora producit detrimenta; ad quod Niceratus forsitan respiciens hoc reliquit monumentum,

(Vinum vim habet igni parem, in igne homo,) &c.

aduersus hoc nihilominus quidam viri hoc sæculo vigentes acriter contendunt, vinumque in febribus noxium esse, prorsus inficiuntur. Hac sumpta propterea occasione nostrum in hoc tractatu institutum est huius opinionis vim trutinare, ac perpendere; duorum prius habita speculatione, scilicet quænam vini natura, ac qualitas sit, atq; an ex eo humanum corpus ali possit. quare sit.

CAPVT PRIMVM.

De Vini natura ac qualitate.

QVãquam perspicua sensuum euidẽtia vinum frigidum & humidum actu esse, exploramus, quid tamen ipsum potentia sit, obscurum sanè nec ita planum existit. Et quidem varias in hoc autorum reperimus opiniones; quidam frigidum, inter quos est Pluarcus libro 3. symp. capite 5. quidam verò calidum constituunt. primæ auctores opinionis his rationibus & auctoritatibus suasi sunt.

Prima est; in rebus præcipuè homogeneis in quibus actualitas ingendo est ipsius forma substantialis nihil aliud præter eam excogitari potest: in igne verbi gratia in quo actualitas, hoc est actu calefacere & exsiccare est ipsius forma substantialis, præter eá nihil aliud animus concipere valet; Philosophus enim in 2. de generatione & corruptione textu 7. 8. & 24. inquit quòd primæ elementorum qualitates eadem constituunt elementa, quòd ipsorum sint principia, & quòd eorundem sint differentiæ; sed in vino actualitas nempe actu refrigerare & humectare est ipsius forma substantialis, ergo in eo prę ter hanc nihil aliud excogitare possumus, ac perconsequẽs frigidum & humidum solummodò esse, statuendum est. minor propositio probatur. vinum est de genere aquæ ex Aristotele 4. meteororum capite 5. sed aquæ frigiditas & humiditas actualis est ipsius forma ac essentia auctore eodem philosopho 2. de ortu & interitu citato, ergo etiam frigiditas & humiditas vini actualis est forma ipsius,

sūs, ac proinde nulla alia qualitas vel substantia in eo reperitur.

Secunda ratio est; quod prædicatur de aliquo genere superiori, debet etiam de contentis sub eo prædicari, iuxta Aristotelis regulam in ante prædicamentis capite 3. de animali enim verbi gratia prædicatur quòd sit substantia sensibilis, quod etiam de homine sub animali contento prædicatur; sed vinum sub aquæ genere continetur docente philosopho 4. Met. iam indicato capite 5. vbi dicit, quòd *aquæ species sunt vinum, serum, & omninò quæcumque nullum aut certè paucum sedimen, nec id tenacitatis ratione habent*: &c. ergo quicquid de aqua prædicatur, debet etiàm de vino prædicari, sed de aqua frigiditas & humiditas actualis, non autem aliquid aliud, dumtaxat prędicatur, ergo etiã idem de vino prædicari potest; quia sub aquæ genere continetur, ac proinde vinum sicuti aquam frigidum & humidum actu & potentia esse, fatendum est.

Tertia est: effectus semper suę causæ proportionatur, & talis effectus est, qualis essentialiter causa ipsius existit, sed vini effectus essentialiter sunt frigidi, ergo idem vinum essentialiter est frigidum. minor probatur Hippocratis auctoritate 5. sect. aph. 5. vbi hęc habet; *si ebrius quispiam repentè obmutuerit, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur*, &c. vbi patet quod affectus, de quo hic loquitur, sit frigidus, propterea pro eius medela febrem tanquam remedium calidum prodesse præcipit, & Galenus lib. 3. de temperamentis capite 2. in fine ait, quòd vinum Apoplexiam, Caros, morbum comitialem, conuulsionem, alioſque morbos frigidos gignit: idem Fernelius lib. 1. de morborum Causis cap. 14. affir. & Quintus ſerenus de Podagra, quæ morbus frigidus est, loquens, de Ennio vini potatore hęc canit.

Ennius ipse pater dum pocula siccat in aqua,
Hoc vitio tales, fertur, meruisse dolores.

Ex quibus patet, quòd effectus vini essentialiter frigidi sunt: ergo etiam ipsum vinum essentialiter frigidum est, cum nihil præter sui facultatem agere possit, & causatum causę adęquare oporteat.

Tandem Cornelij Celsi testimonio libro 4. de re medica capite 5. probatur; ibi enim pro ventriculi intemperie calida laborantis curatione vinum proponit frigidum, sequitur ergo quòd vini natura, ac qualitas frigida existit, ac proinde vinum frigidum esse, non calidum nullo pacto est ambigendum.

CAPVT SECVNDVM.

Vinum calidum esse, probatur.

OPtima ac verior est secunda sententia iam indicata asserentium vinum non frigidum sed calidum esse. Hanc nos amplectimur

atque rationibus auctorum Medicinæ testimonijs suffultis demonstramus: hoc ante omnia pręmisso, quòd hic non de hoc vel illo vino in particulari, sed de quolibet vino in communi sermo est.

Prima ergo ratio talis est. quod est maximè permeabile (exceptis thermis ac succis simplicium frigidorum destillatis) non frigidum, sed calidum est, quia frigiditas grauitatem, caliditas læuitatem annexam habet: illa tardi, hęc celeris est motus, cuius rei exemplum medicamenta sunt, quæ cum calida sint, maximè permeabilia sunt, atque aqua, quæ cum frigida sit, diù in corpore moratur; hinc Galenus in 3. de ratione victus in acutis textu 40. inter alia aquæ damna longam quoque in corpore moram enumerat, & quòd nec aluum deijcit, nec vrinam ciet: sed vinum est maximè permeabile, vt neminem quidem latet, hinc Dioscorides inter tot vini laudes ponit etiã quòd facilè per membra distribuitur, & quòd vrinas, ac aluum mouet; Hippocrates 2. de diæta textu 13. ait, *vinum purgatorium quiddam à materia habere* Galenus in 5. sect. aph. 5. hæc habet; *Solet autem neruos facilè replere vinum, vtpotè calidum temperamento, talis siquidem natura promptè subit, & penetrat omnia*, & Auicennas 1. 4. tract. 2. cap. 58. *vinum sudare facit*, ex quibus constat, vinum summopere penetratiuum esse, ac perconsequens calidum reuera existere.

Secunda ratio est. id, ex cuius aqua veluti ex sulphure flamma accenditur, calidum quidem est, sed ex vini aqua flamma accenditur, hinc Niceratus vinum igni æqualem esse, asseruit: ergo vinum ipsum călidum est. Nec dicat aliquis quòd aqua vini non amplius vinum est, sed quid ab eo diuersum, cum per destillationem eius facultates consumptę sint; quoniam in destillatione crassę consumuntur partes, tenues verò ac subtiliores remanent, colorque duntaxat mutatur, atque odor nonnihil euanescit, cęterùm virtus substantifica, spiritus ac vis vitalis haud amittuntur, sed intus in eadem aqua latitant, eo modo quo etiam in lactis sero, & herbarum succis res contingit, quę quidem & si destillentur, virtus tamen eorum incorrupta remanet, ita vt efficaciùs ijs, quę non destillata sunt, profectò agant, ac ad morborum curationem valeant. virtus ergo atque natura aquę vini ab ipso vino haud differt, licet in vino in gradu remisso, ac debiliori sit: ergo quemadmodum vini aqua calida est, sic etiã vinum ipsum calidum existit, quia magis & minus spetiem non mutant, nec intrinsecam rei virtutem destruunt.

Tertia est. ebullitio alicuius rei à caloris vi procedit, siue ille calor externus, siue internus sit; nam in ebullitione tota materia prius agitatur, deinde partes subtiles à crassis segregantur, portioque magis vaporosa & fumosa exhalat, crassiores verò ac terrestriores subsident, hanc autem rem à caloris virtute euenire, omnes concedunt;

Sed

Sed in vino recenti magna fit ebullitio, ita vt si dolium obturatum esse contingat, propter ebullitionis violentiam, fuliginumque ac vaporum intus retentionem omnino dolium ipsum disrumpi obseruatum est: ergo talis ebullitio ab aliquo calore procedere debet, quicum externus non sit, sequitur quòd internus ac ipsius vini proprius existat, ac perconsequens vinum calidum esse absque dubio affirmandum est.

Quarta ratio est. vinum dum ęgrotat, hoc est dum acetum euasit non omnino frigidum est, sed tenuium existit partium aliquam possidens caliditatem, auctore Galeno x. Methodi Med. capite 8. lib. 1. de Simpl. medicamentorum facultate c. 17. & 19. Paulo Aegineta libro 2. & Auicenna lib. 2. cap. 77. Si ergo vinum ægrum calidum est, multò magis sanum existens calidum debet esse; nam dum vinum acescit, partes subtiliores ac calidiores exhalant, crassioresq; supersunt, quib. tamẽ aliqua ineſt caliditas, ratione cuius in pariete iniectũ siue alio loco, veluti ebullire videtur, incidit, fermentat, ac corpus quodlibet penetrat, hęc autem effectus eiusdem caloris sunt: ergo vinum antequam acescat, quo tempore illa subtiliori ac calidiori portione nondum priuatum erat, talia efficacius prętare valebat, ac proinde calidum reuera debebat esse.

Sed aliquis obijciet quòdin aceto nulla vini qualitas reperitur; nam dum vinum acescit, corrumpitur, generaturque acetum; modò rei corruptio est transitus de ente in non ens sui speciei ex Aristotele 1. de generatione & corruptione textu 16. generatio verò est mutatio totius in totum nullo sensibili permanente vt subiecto eodem, auctore eodem philosopho, libro indicato, textu 24 ergo accidentia quæ erant in vino corrupto in aceto genito haud remanent, cum in generatione substantiali fiat resolutio vsque ad materiam primiam, ac proinde caliditas iam in vino exiltens non est eadem in aceto reperta, sed quid extrancum existit.

Respondetur quòd vinum propriè minimè dicitur corrumpi, sed duntaxat alterari, ac perconsequens dum ex vino acetum fit, non est vera aceti generatio, sed potius ipsius vini alteratio; nam ex Aristotele libro citato textu 23. alteratio dicitur, quando affectiones, & accidentia seruato eodem subiecto sensibili mutantur, verbi gr: quando ex albo fit nigrum, tunc alteratio vocatur, quia idem subiectum sensibile remanet: generatio verò dicitur, quando idem subiectum sensibile haud remanet; modò in uino sapor & odor (tenuiori ac subtiliori portione ab ambientis calore atracta ac consumpta) duntaxat transmutantur: cæterùm reliqua uini accidentia substantiaque incorrupta, licet in remisso gradu sint, reuera supersunt, nempè color, fluiditas, perspicuitas, partes magis crassę, uirtus alendi, corpusquè

pusquè penetrandi, & similia: ergo talis aceti generatio non est uera generatio, sed potius vini alteratio, ac proinde caliditas, quæ in vino iam fuerat, eadem etiam in aceto est; & licet non ita magna sit, spetie tamen eadem est, quia magis & minus speciem non diuersificant.

Confirmatur hęc opinio variis auctorum Medicinæ testimonijs. Hippocrates 2. libro de diæta textu 13. ait; *aqua frigefacit, vinum calidum est & siccum*, idem habet in libro de affectionibus. Galenus lib. 8. de simpl. medicam. facultate circa initium, vinum ex secundo calefacientium ordine constituit; & in 5. sect. in com. aphorismi quinti vinum conuulsionem sanare neruos calefaciendo atque exsiccando, affirmat. idem alibi. Auctor libro de vino Galeno adscripto, vinum calidum & siccum, vel humidum pro vini natura esse, statuit. Dioscorides libro 5. capite 5. Plinius lib. 23. capite 3. Paulus, Aegineta lib. 7. Auer. 7. Colliget cap. 16. alijq; celebres Auctores calidum esse vinum, vnanimi consensu asserunt; omnis ergo de vini caliditate absit ambiguitas.

CAPVT TERTIVM.

Contrariæ Sententiæ rationes diluuntur.

RAtiones pro contraria sententia allatæ tanquam valdè subtiles veluti per aerem volant, nec firmum ac solidum veritatis centrum attingunt.

Prima itaque ratio tota falsa est, nam actualitas rei in agendo non est forma ipsius substantialis, sed accidens aliquod ab eius substantia productum: in igne enim præter calefaciendi, & exsiccandi actionem, est etiam substantia ipsius intrinseca, à qua illa actio proficiscitur, quam igneitatem (cum nobis tanquam vltima differentia ignota sit) nuncupare possumus, seu vt alijs placet, immissionem, seu initiationem: hinc Aristoteles in illo 2. de generatione & corruptione qualitates primas formas elementorum vocat: quia ibidem respectu nostræ cognitionis ea considerat, non vt corpora naturalia absoluta; nos enim naturas eorum introspicimus per qualitates ipsorum, quas sentimus: & propterea ipse Philosophus Libro de sensu & sensibili non eodem modo elementa ipsa considerans, sed vt in illis præter manifestas qualitates formæ etiam substantiales reperiuntur, ait, quòd ignis non agit quatenus ignis, sed quatenus est calidus: & in textu 24. libro proximè indicato inquit, qualitates elementorum esse passiones; ergo intendit

tendit qualitas elementorum non esse formas eorundem substantiales, ac per consequens præter ignis actualem calefactionem & exsiccationem in eo quidem aliquid aliud intrinsecum reperitur: vnde etiam in vino quamuis ex genere aquæ sit, nihilominus præter frigiditatem & humiditatem ipsius actualem non modò alia qualitas nempe caliditas, & siccitas, sed etiam forma substantialis ipsum constitutiua reperitur. inepte itaque ex hoc arguitur capite, vinum non esse calidum.

Ad secundam respondetur, quòd regula illa Aristotelis de omnibus prædicatis essentialibus minimè verificatur; nam de animali verbi gratia, potest prædicari irrationalitas, quæ de homine sub animali contento haud prædicatur: verificatur ergo de ijs quæ in omnibus conueniunt; vt quicquid de homine prædicatur, de Socrate etiam prædicari potest; modò aqua & vinum conueniunt quidem in frigiditate & humiditate, differunt verò in alijs, quia aqua etiam potentia est frigida & humida, vinum verò, vt iam probatum est, calidum & siccum; dum autem Aristoteles in illo 4. Met. ait, quod vinum est aquæ species, non quia eiusdem essentiæ ac naturæ cum ea sit, sed quò ad fluiditatem, & paucum vel nullum sedimen, id reuera asserit, quod ex eo patet; quia præter vinum, vrinam quoque enumerat, sed vt omnes concedunt, vrina est calida, est tamen fluida ac perspicua, sicuti etiam vinum, ergo quoad fluiditatem & perspicuitatem, non quò ad essentiam & qualitatem aquæ species esse vinum, serum, & vrinam asseuerat, ac proinde vini natura ac qualitas valdè ab illa ipsius aquæ differt.

Ad tertiam respondetur: quòd effectus alicuius agentis gemino modo spectantur, vno per se, alio per accidens, primo modo effectus causis a quibus ortum ducunt sen per proportionantur: secundo modo effectus suæ causæ haud adæquantur: hoc patet experientia, aqua est frigida, & humida; tamen per accidens calorem reuocat, conuulsionem que quæ morbus est frigidus calefaciendo curat iuxta Hippocratis 21. aphorismum 5 sect. hic medicamenta purgantia calida & ficca, humores calidos educentia refrigerant, ac febrem sanant: modò vinum non per se, sed per accidens effectus frigidos producit: quia copia, ac qualitate calida calorem nativum debilitat, ex quo humores gignuntur frigidi, a quibus postea apoplexia, podagra, caros vel alius ex iam enumeratis morbus frigidus pro patientis natura producitur, quapropter vinum ex sui natura semper calfacit, ex accidenti verò frigiditatem inducere, valet.

Ad Celsi auctoritatem aſserimus, quòd Celsus pro frigido vino intelligit acidum valdè ac austerum, vel satis aquosum, quod cum cęteris vinis minùs calidum sit, pro ventriculi intemperatè calidi curatione aptius existit; Cæterum mens eius non est, vinum omninò frigidum esse; quia in lib. 3. capite 6. vinum calidum in alui profluuio proponit; ergo in illo loco non absolutè, sed respectiuè de vino frigido loquitur. ex quibus perspicuum est, quòd hæc opinio infirma potiùs Sophismatum apparentia, quàm veritatis soliditate est suffulta.

CAPVT QVARTVM.

Vini qualitas in particulari consideratur.

COnsentiunt ferè, omnes, qui litigia & disceptationes in rebus claris haud auent, vinum in communi calidum & siccum esse, discrepant tamen dum ad particularia descendunt. nam alij existimant vinum aliquod omnimodè frigidum & humidum absque manifesta calefactione proculdubio dari, quod imbecillum, ad differentiam potentis ac meraci vocitant: alij tenent, quòd & si huiusmodi vinum respectu meraci frigidum & humidum censendum sit, absolutè nihilominus tale non est: cum & ipsum calidum aliquo pacto sit, manifestèque corpus humanum calefaciat.

Auctores primæ sententiæ his rationibus, & auctoritatibus suasi sunt: imbecillum vinum si cum aqua misceatur planè exoluitur, nulla ergo caliditate est præditum, qua aquæ frigiditate repugnet, sed penitus frigidum est. Præterea nihil à vino euaporat, nihil ergo caloris in se continet: sic odore, sapida qualitate, ac crassa corpulentia est destitutum, quæ omnia conspicuæ frigiditatis indicia sunt; sic calorem natiuum nec adauget, nec sustentat, frigidum progignit sanguinem: frigidum ergo reuera existit.

Confirmatur Galeni auctoritate 3. de ratione victus in morbis acutis textu 1. vbi hæc habet: *vinum potens vehementer celeriterque corpus calfacit, caputque ferit, imbecillum contrario agit modo &c.* Si ergo imbecillum contrario operetur modo ab eo quo potens agit, sequitur quòd ipsum imbecillum frig facit, nec caput lędit, sicuti potens vinum facitat: & propterea in commento textus octaui eiusdem libri citati ait, quòd febricitantibus maximè idoneũ aquosum vinũ sit, & magis expressè in textu 20. eiusdẽ Libri vini frigiditatem his verbis confirmat; *at qui quæ in vino, hoc est, carentia odoris ea imbecillitatis, frigiditatisque efficacissima exi-*

stit

stit nota, &c. Hippocrates ipse in textu 20. citato comparat mulsam cum vino paucifero, sed mulsa est frigida, alitèr in morbis acutis eam quidem ægrotantibus haud exhiberet: ergo etiam vinum imbecillum frigidum est, ac per consequens vanum est de huiusmodi vini manifesta frigiditate amplius contendere.

Vinum imbecillum haud penitùs frigidum esse Probatur.

HÆc opinio quamuis verisimilis appareat, vera nihilominus omninò minimè existit: quare veriorem existimamus sententiam asserentium vinum etiam imbecillum haud obscura caliditate præditum esse, & conuincitur his rationibus & auctoritatibus.

A vino imbecillo aqua extrahitur vitę, sed hęc est calida, ergo & ipsum calidum est: nam aqua vitę intus in vini substantia latitat, vigoreque ignis ab eo educitur: ergo vinum ante huiusmodi eductionem epotum cum partem in se contineat calidam, manifestè calfacere valet.

Aduersarij aduersus hanc rationem dicunt, quòd alitèr in alembico per ignem, atque in ventre per natiuum calorem res ingestorum eueuit: nam disgregat ignis in alembico, atque semper attenuat, ac subtiliat: è contra calor ventris naturalis semper incrassando procedit, ac proinde vino imbecillo hausto, & à calore natiuo alterato, ac concocto nullo pacto ab eo portio calida educi potest.

Sed an hęc responsio nostrę rationis vim infringat, tu Lector iudex esto: hoc dumtaxat asserimus quòd ignis non modo disgregat, verùm etiam incrassat. ponatur mustum in alembico, & aqua vitę fiet, ponatur verò in olla, & sapa euadet: ergo ignis vtrumque subtiliationis scilicet, & incrassationis officium præstat. *sic calor innatus humores tenues incrassat (aliter ad purgationem inepti essent, nunquamque è corpore dejcerentur) crassos verò attenuat, ac subtiliat;* ergo calor quoque naturalis eadem edit munera, quę & ignis edere solet: cum ergo & incrassare, & attenuare valeat, nequit fieri quin ab huiusmodi vino epoto alterato, ac concocto pars euaporet calida, ac per vniuersum difundatur corpus.

Nunc ad propositum redeamus, vinum etiam imbecillum caput petit ac inebriat, ergo calidum est, probatur antecedens. *Aristoteles 3. sect. problem. 3.* quęrit cur vinum aquosum magis quàm vinosum caput & mentem lædat; respondet ipse, quia aquosum seu imbecillum magis penetrat, ac illabitur, quàm vinosum, hoc

autem non nisi ratione suæ internæ caliditatis agit, ac proinde calidum debet esse. Hunc forsitan Aristotelis locum, puto, Ioannem Manardum in libro xviiij. epistolarum Medicinalium epistola 2. inspexisse, dum pro simili casu Carnicero Romanorum Regis Medico conscripserat; Medicus enim hic ab eodem Manardo quæsiuit, an vinum dilutum magis caput tentet inebrietque quàm purum; cui quæsito occurrens præmissa pulchra, ac eleganti doctrina sic determinat; *dilutum vinum magis inebriare putauerim, quàm merum, multoque magis si maiore adhuc proportione quàm quincupla, vinum aquam superauerit.* quicquid autem de vino aquoso auctores hi asserunt, de imbecillo quoque intelligendum, nam eadem aquæ proportionem, quam aquosum vinum hominum industria habet contingere potest vt ob terræ, atque aeris imbecillitatem, ac leuem in vite concoctionem imbecillum etiam vinum naturaliter possideat: quapropter quemadmodum ex sententia horum virorum aquosum vinum magis quam meracum caput lædit, ac inebriat, ita etiam dici potest, quòd vinum imbecillum sic à natura editum magis quam potens capiti afflictionem ac ebrietatem afferre valet: imprudens ergo talium virorum contemptor æstimandus quicumque vino imbecillo aliquam inesse caliditatem, denegauerit.

Præterea quod aliquo pacto vrit & exsiccat, caliditatem in se aliquam ac siccitatem continet, sed vinum etiam imbecillum vrit (tenuiter tamen) atque exsiccat: ergo calidum est. probatur minor, Hippocrates libro de aere & aquis textu 24. hæc habet, *& sanè censeo melius esse pueris vinum quam aquosissimum dare, minus enim (hoc est respectu lactis bilioſi de quo ibi loquitur) venas adurit ac resiccat*, &c. si ergo vinum quam aquosissimum respectu lactis bilioſi minus adurens atque exsiccans sit; sequitur ergo quòd & ipsum caliditatem aliquam ac siccitatem possideat, ac per consequens falsum est asserere vinum imbecillum manifesta solummodo refrigeratione in nostrum corpus agere.

Tandem vinum etiam imbecillum in acetum conuertitur, sed acetum tale calidiusculum esse, manifestè quidem experimur, ergo & ipsum vinum calidum est. Etenim multi imbecillitate aut calida oculorum fluxione laborantes confessi sunt, se ab vsu aceti etiam quam imbecillimi maximè offendi, hoc autem non nisi ab ipsius caliditate prouenit, si ergo acetum in quod vinum transmutatur imbecillum non plane frigidum. sed facilè perceptibilem possidet caliditatem, sequitur quòd & ipsum vinum haud omnino frigidum exiitit. vtrum autem illa aceti imbecilli caliditas eadem specie sit, neque diuersa ab ea, quæ in eodem vino imbecillo iam extiterat, supra satis superque in capite secundo pro nostro instituto determina-

minatum est, nunc expedit superba prosternere obiecta.

Solutio eorum quæ in oppositum allata sunt.

AD primam respondemus rationem, quòd quamquam imbecillum vinum aquæ mixtum planè exsoluatur, id nihilominus manifesta caliditate idem carere vinum minimè arguit: quoniam talis vini exsolutio à maiori aquę respectu vini quantitate proficiscitur; homo enim debilis onus graue ferre non valet, licet viribus nequaquam destitutus sit: fert ergo illud quod viribus suis correspondeat, sic ergo & vinum imbecillum exsoluitur quidem si multa aqua ei misceatur, licet caliditate haud careat, si verò pauca, minimè, aptumque est adhuc vt cum suauitate bibatur.

Ad secundam asserimus, falsam esse eam assertionem, nihil à vino imbecillo euaporare, falsitatemque hanc experientia ipsa demonstrat; ponatur vinum imbecillum in duplici vase, vnum benè obturatum, alterum recluſum per diem seruetur, tuncque ab vtroque haustus sumatur, inuenieturque vinum (quod erat in vase obturato) nihil à suo amisisse vigore, è contra alterum in aperto vase seruatum non nihil euaporatum reperietur, diuersitas hæc ex eo procedit, quòd ab illo nihil, ab hoc verò aliquid euaporauit, iurè ergo negamus, nihil ab imbecillo euaporare. Prętera quod in se spirituosum quid continet euaporatiuum est, sed vinum imbecillum est huiusmodi, cū ab eo spiritus eliciatur, ergo euaporatiuum quidem existit: hoc autem aliquam in se habere caliditatem profectò denotat.

Ad tertiam respondemus, quòd color, odor, sapida qualitas, ac crassa corpulentia non sunt certa ac perpetua caliditatis siue alterius qualitatis signa auctore Galeno 2. de simpl. medicam. facultate capite 3. & libro 4. capite 23. pyra enim verbi gratia aliqua acutum habent odorem, & tamen frigida sunt. hinc etiam Paulus Aegineta lib. 7. de re Medica capite 1. ait quòd ex odoratu coniecturam temperamenti aliquam sumere haud securum; sic quoque multæ herbæ, vt pentaphilum, malua, alięque insipidi saporis sunt, & tamen calidæ existunt. præterquamquòd non omne imbecillum vinum insipidum est, pleraque enim inueniuntur mediocri ac suaui qualitate saporosa prędita, quod quidem multos Italiæ Patauinę pręcipuè, ac Peninsulę Rodiginæ incolas regionis haud latet: tandem sunt multa vina splendida tenuissima corpulentia donata, & tamen sunt valde calida, talia sunt pręsertim vina adinstar aquæ alba; idcirco Aegineta loco citato ait, quòd etiam à colore & corpulentia rei temperaturam nequimus cognoscere, non valet ergo ex iam propositis inditijs incertis certè arguere, vinum imbecillum frigidum esse.

Ad quartam dicimus quòd in quibuſdam complexionibus vinum imbecillum magis quàm meracum calorem adauget natiuum, conſeruat, probioremque producit ſanguinem: multi viri confeſſi mihi ſunt ab vſu imbecilli maius quàm meraci accepiſſe emolumentum, illo enim ebibito nullam noxam, hoc verò hauſto ſtomachi grauitatem, ructuſque acidos perſenſerunt, & ratio eſt, quia ventriculus debilis craſſam ac generoſam materiam difficulter coquere poteſt, hinc cruditates generantur; è contra tenuem ac leuem materiam facilè coquit ac ſuperat, hinc humores optimi naſcuntur: cum ergo imbecillum tenuis ac leuis ſubſtantiæ ſit, venter debilis facilius ipſum coquit, quã meracũ, quod craſſæ ſubſtantiæ ac difficilioris concoctionis exiſtit: hinc calori natiuo & auxiliatur, & ſanguinem generat probũ, ab hoc verò potius lęditur, immeritò ergo prędictę culpę imbecillo vino adſcriptæ ſunt, ac proinde caliditate aliqua & ipſum prędictum eſſe, nulla debet manere ambiguitas.

Ad Galeni verba reſpondemus, quòd mens eius in eo loco citato non eſt docere imbecillum frigefacere, ſicuti potens calefacit, ſed quòd imbecillum leuiter ac tardè calefacit, nam illa uerba *contrario modo agit*, ſumenda ſunt de uehementia ac celeritate in calefaciendo & exſiccando, ita ut ſenſus ſit, quòd potens uinum uehementer celeriterque calefacit atque exſiccat, imbecillum uerò parùm, ſeròque id agit. dum autem in textu 8. indicato ait quòd uinum imbecillum febricitantibus conuenit, loquitur ſanè de febribus diuturnis, in quibus cum ut plurimum obſtructiones adſint, humoreſque frigidi ac craſſi peccent, pro earum medela huiuſmodi uinum conueniens exiſtimauit. tandem eius uerba in illo 20. commen. prolata non ſunt abſoluta, ſed reſpectiua, reſpectu ſcilicet potentis uini frigidum imbecillum dici poteſt, quia ut iam expoſitum eſt, in commen. textu 1. lib. 3. de uictus ratione uerba profert, ex quibus manifeſtè colligitur ipſum uoluiſſe imbecillum reuera calefacere.

Similitudinem autem quam Hippocrates inter mulſam & imbecillum facit, eſt potius ad noſtrum propoſitum: quia mulſa manifeſtè calfacit, cum melle, quod eſt calidum, conſtet: ergo etiam imbecillum calfacit. nec ualet dicere quòd ſi mulſa calefaceret, eam quidem acutis haud propinaret: nam illam non ut alterans, ſed ut deiectorium pręſidium exhibet, & propterea in 4. acutorum textu 34. in cauſonidis cura aquam & mulſam ſimul proponit, quaſi illam ut alterans, hanc uerò ut deiectorium remedium: prętereà etiam ſi mulſa calfaciat, tutò tamen acutis exhiberi poteſt; quia ſimul cum peccantibus materijs extra corpus educitur; uinum autem niſi in copia exhiberetur, quod ualde damnoſum eſſet, ut infrà patebit, humores non euacuaret, quemadmodum ergo mulſa eſt calida, ſic etiam

& imbecillum, ac per consequens frustra ac insufficienter illi uiri cõtendunt, ac sustinent, uinum imbecillum frigidum omninò existere..

CAPVT QVINTVM.

Secundum membrum in proemio propositum, nempe an vinum nutriat, examinatur.

IAm à nobis constitutum est, uinum in communi spectatum calidum & siccum existere, in particularique uina aliqua dari, quę frigida respectiuè, absolutè tamen caliditatem aliquam eamque minimè obscuram contineant. nunc nostrum institutum est, an ptæter prędictas iam examinatas qualitates, facultatem quoque nutriendi ex sui substantia productam possideat, examinare.

In qua quidem re acerrima apud auctores extat lis. quidam enim inter quos est Hieronymus Mercurialis in tractatu de Vino & aqua, nihil nutrire, alij uerò nutritiuum esse, existimant. prima sententia, unico fundamento sed prędalido ex ipsius uini natura, auctorum testimonijs, ac experientia desumpto hoc pacto fulcitur.

Ad hoc ut aliquid nutriat necesse est ut sit uel uerum alimentum, uel quasi alimentum, seu futurum alimentum, sicuti ex Hippocrate libro de alimento textu 2. Auicenna 1. 1. doctrina 4. capite de humoribus, & Galeno libro 1. de facultatibus naturalibus capite 11. colligitur, modò uinum neque est uerum alimentum, neque quasi alimentum: quia illud est cambium, quod immediatè in substantiã aliti conuertitur, hoc uerò est sanguis, qui per uenas diffunditur; neque est futurum alimentum, quia tale, auctore Aristotele 1. libro de generatione & corruptione actu parti nutriendę est contrarium, potentia uerò simile. uinum autem contrarium actu quidem est, sed nullo modo partibus nutriẽdis potest assimilari; nam tales sunt crassę, lentæ, & uiscidæ: ergo id ex quo debent nutriri, crassum, lentum, & uiscidum debet esse, hinc Galenus 7. Methodi Med. capite 6. ait, omne quod nutrit necesse est ut crassum, uiscidum, & lentum sit; sed uinum tale quidem fieri haud idoneum est: ergo parti nutriendæ nequaquam assimilari ualet. probatur minor, quia ex Aristotele 4. Meteororum capite 9. & 10. quæ sunt aquea crassescere nequeunt, cum caloris ui euaporentur; sed uinum ex ipso Aristotele est species aquæ, ergo crassescere nequit, cum ergo non crassescat, nec lentum, nec uiscidum euadere potest: nam lentor & uisciditas crassitiei sunt semper soti) inseparabiles, sequitur ergo quòd uinum parti nutriẽdę non potest assimilari, ac proinde minimè nutrit: propterea Galenus

lenus in 1. libro de facultatibus naturalibus capite x. totam nutritionis fabricam pertractans, omnium nutrientium exemplum dat, animalium scilicet, plantarum, & similium, uini tamen nullam mentionem fecit, cuius rei causa quidem est, quia uinum nutritiuum non est, hinc in Ephes. 5. 18. habetur, quòd vini abusus quam noxius est, & Propertius canit

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.

Quapropter vinũ non modò haud alit; verùm etiam summopere noxium est: idcirco tales meruit culpas ad huius fundamenti confirmationem experientia quoque succurrit; nulla enim hominum memoria, nullum auctorum monumentum reperitur, quod nobis indicet aliquem hominem solo vixisse vino; & tamen multæ sunt historiæ, quosdam solo lacte, aut solis herbis, aliaue re sola diù vitam protraxisse: hoc autem ex eo procedit quòd vinum nutriendi facultatem nequaquam possidet, & per consequens de hac re non est amplius contendendum.

Vinum nutrire probatur.

SEcundam sententiam iam propositam tanquam veritati ac Hippocratis aliorumq; auctorum placitis magis consonam nos amplectimur, ac vt sequitur sustinemus.

Id quod non simplex est, sed diuersis constat naturis alere quidem potest; cuius rei argumento est lac, quod auctore Galeno 4. de simpl. medic. facultatibus capite 17. ex natura butyrosa, caseali, serosa, ac nitrosa compositum est, addo nitrosam, quia & si eo loco eam non proponat, expresse tamen in x. libro prædicti loci capite de sero ipsam admittit, dum ait, serum esse nitrosum, lac autem efficaciter nutrit: ergo &c. sed vinum quatuor substantijs siue partibus constat, vinosa nempe, aqua vitæ, aquosa, & tartarea vt ex Galeno 2. de facultatibus naturalibus cap. vltimo colligitur: ergo vinum diuersis constat naturis, ac proinde nutrit.

Confirmatur duplici medio; primò quia adhoc vt aliquid humanum corpus ex quatuor elementis quatuorque humoribus constans nutriat, debet ex quatuor naturis, ipsis elementis ac humoribus correspondentibus constare, exemplum est lac ipsum valde nutritiuum, quod potentia quatuor continet naturas humoribus & elemẽtis correspondentes, nitrosam scilicet, quæ igni & bili, casealem, quæ terræ ac melancholiæ, butyrosam, quæ aeri & sanguini, serosam, quæ aquę & pituitæ correspondet; Sed vinum quatuor continet partes, vt dictum est, quæ quatuor elementis, atque quatuor humoribus proportionaliter æquantur, florem scilicet, qui igni & bili, tartarum, qui terræ & melancholiæ, aquam vitæ, quę aeri & sanguini, & aquosam partem, quæ aquę & pituitæ correspondet; cum ergo vinum tales &

tantas

tantas habeat portiones corporis nutriendi partibus correſpondentes, ſequitur quòd & ipſum nutrire poteſt.

Secundum medium eſt: quoniam partes noſtri corporis nutriendę non omnes ſolo nutriuntur ſanguine, ſed quædam bilioſo humore, vt pulmo, quędam melancholico, vt lien, quædam pituitoſo, vt cerebrum, & quædam ſolo ſanguine, vt hepar, alimentantur: ergo vinum quod naturas illis humoribus correſpondentes continet, eadem quidem membra nutrire valet, & ratio eſt, nam partes vini cum intemperamento humoribus prędictis, membriſq; illis nutriendis ſint ſimiles, facilè per concoctionem in eorum ſubſtantiam conuerti poſſiunt, ac proinde vinum nutritiuum eſt.

Præterea argumento à minori ad maius corroboratur, ſi odores nutriunt, diuque homines in vita conſeruant, multò magis vinum id præſtare poteſt: ſed ſic eſt quòd odores non modò oblectant, ſed efficaciter alunt, vt ex Hippocrate libro de alimento textu 11. & Galeno 6. epid. 8. tex. 2. Colligitur; hinc Plinius lib. 2. hiſtoriarum cap. 2. narrat Aſtomos feroces ac incultos in extremis Indię finibus populos, ſolo herbarum, mellis, pomorumque ſylueſtrium odore æque ac benè nutriri, hinc fertur Democritū ſolo panis odore Abderiten per quatriduum à morte diſtuliſſe, ſequitur ergo quòd vinum hoc ipſum efficacius pręſtare poteſt, probatur ſequela maioris. odor nihil aliud eſt ex Galeno libro 8. de vſu partium capite 6. niſi quędam exhalatio, ſi ergo exhalatio, quę ferè quid inſenſibile eſt, tantam habeat vim, vt humanum corpus quamdiutiſſimè nutriat, ergo vinum, quod craſſas ac ſenſibiles poſſidet partes id multo magis complere valet: & hęc eſt vera cauſa propter quam Veteres Diui Patres Greci, columnę ac robur ſacrę Catholicæ Eccleſiæ dum carnem, lacticinia, piſces, aliaque alimenta Chriſtianis ieiunare iubent, vinum quoque inter alia tanquam valde alimentale enumerant. hinc Iſraelitæ vt apparet in Deut. 29. vt pœnitentiam agerent, vinum annis 11. haud biberunt. hanc etiam ob cauſam Leuitis tabernaculum ingredientibus vinum vetitum fuit. hinc Poetarum Princeps in lib. Ilia. ſic canit

A vino abſtineri eſt pęnitẽtiam agere.

Vinum & farinam medullam hominum: & alibi,
Viro autem defatigato magnum robur vinum auget.

Hęc autem omnia vinum magnam alendi vim obtinere, arguunt. quapropter haud ambigendum vinum corpori verum ac optimum afferre alimentum.

Alieni ab hac ſententia Medici noſtri non ſunt. Hippocrates lib. de alimento tex. 8. ait, *alijs enim vinum alimentum eſt, quibuſdam non alimentum*, Galenus in ſecunda ſect. in com. aphor. 11. aſſerit, aquoſa vina parum nutrire, craſſa verò, quæ & rubra ſunt, plurimum, Dioſcorides lib. 5. cap. 5. inter alias vini laudes hanc etiam ponit, *vi*

res

res alit, ac robur auget, & Auicenna lib. 1. fen. 2. doct. 2. cap. 14. aſſerit, aquam carnis, vinum, oua, &c. multi & ſubtilis nutrimenti eſſe, ex quibus patet, quòd vinum inter vera alimenta reponendū eſt.

Obiectio. Sed aduerſarij ad Hippocratis verba reſpondent, quod duplex eſt alimentum, vnum quod ſua natura in corporis ſubſtantiam conuertitur, alterum quod nutritioni famulatur, perducens ſcilicet verum alimentum ad partes nutriendas, modò vinum ab Hippocrate ſecundo modo, non autem primo alimentum nuncupatur.

Ad Galeni quoque verba reſpondent, quòd ideo Galenus, vina craſſa plurimùm nutrire ait, quia maximè penetrant, ac proinde ſummopere nutritioni inſeruiunt; quia eorum craſſities eſt cauſa, vt alimentum faciliùs ac magis parti nutriendæ adhæreat, atque ab ea retineatur.

Subiungunt aliam reſponſionem, quòd vina craſſa quæcumque illa ſint, ſiue dulcia, ſiue auſtera, ſiue recentia, vel antiqua, non ſunt verè vina; quoniam propria vini natura eſt, caput replere, grauare, ac inebriare, vina autem prædicta id haud præſtant: ergo vina vera nequaquam vocanda ſunt, quapropter ex his haud concludendum vinum nutrire.

Confutatur obiectiones. Falſæ quidem hæ ſunt reſponſiones, & quòd ad primam attinet, aſſerimus Hippocratis loco illo citato mentem eſſe, præcipere non omnia alimenta omnibus æquáliter prodeſſe, ſed quibuſdam vnum cibum alimentum eſſe, quibuſdam verò non; hoc de lacte, vino, & carne præcipuè exemplificat: etenim ſunt multi ab his maximè tribus ita abhorentes, vt etiam ipſorum odorem ſeu aſpectum perferre quidem nequeant. Marcellus Donatus 5 Libro Hiſtor. Med. Mirab. cap. 3. hiſtoriam ex Braſauola recitat cuiuſdam Federici Regis Neapolitani filiæ, quæ carnem nec comedere, nec guſtare abſque vehementi ſyncope poterat, in quam quidem incidebat, ſi aliquis eidem carnem propinaret. ibidem refert Conciliatorem Aponenſem adeò lac abhoruiſſe, vt nec illud comedentes abſque moleſta quidem nauſea inſpicere valeret. in eodem capite ex Pontano Libro de rebus Cœl. ſcribit, quendam fuiſſe, qui nunquam vinum potauerat, cumque ſemel imperante Ladislao Neapolitano Rege, vinum bibiſſet, ſummopere ſanè ab eodem læſus fuit. plures huius rei Hiſtoriæ ibidem proponuntur. hęc itaq; alimenta quę tot hominibus proficua valdè ſunt, quibuſdam noxia nimium exiſtunt; in hoc ergo ſenſu Hippocrates ait, vinum alijs eſſe alimentum quibuſdam non alimentum, eo modo quo videtur & carnem, aliaque quibuſdam eſſe alimenta, alijs verò non alimenta, ſed penè venena. Hoc idem Plinius Libro 23. cap. 1. aſſerit, vinum vel venenum, vel quid bonum eſt, quaſi & hic diceret, vinum alijs alimentum,

mentum, quibuſdam non alimentum eſſe. & Auicenna lib. 1. Fen. 2. doct. 3. cap. 11. aſſerit quòd vinum quoſdam fortes, quoſdam verò debiles facit. quòd autem talis Hippocratis mens ſit, patet, quia quod de lacte eo loco vult, etiam de vino intendit, cum vtrumque ſimul tanquam exemplum proponat; ſed lac non alimenti vehiculum, ſed verum alimentum eſſe intendit: ergo etiam de vino intendere idem, fatendum eſt.

Ad ſecundam aſſerimus, quòd Galenus loco indicato comparat ſolida cibaria cum liquidis, illaque ad multam ſed tardam nutritionem, hæc verò ad paucam ſed celerem valere, aſſeuerat, verba eius hunc ſenſum ſatis declarant; *nam vt hæc ſolidoribus cibarijs non ſimiliter alant, diſtributionis tamen celeritate, illis longè præſtant cuiuſmodi ſunt vina craſſa*, &c. ecce ergo quòd non vt vehiculum vina craſſa, ſed vt vera alimenta ad citam refectionem idonea, ſeparatim proponit.

Ad tertiam reſpondemus, quòd propria vini natura non eſt caput grauare, ac inebriare; nam caput grauare etiam aromatibus ex Hippocrate 5. aph. 28. competit, ſic inebriare ceruiſiæ aliiſque potionibus pro vini inopia in regionibus frigidis paratis conuenit; lac ipſum agnos inebriare, relatum eſt, propria ergo vini natura talis non eſt, ſed vires corporis preſentes conſeruare, ac delectas celeriter reficere, inebriare enim ac caput grauare, ſunt accidentia à vini copia hauſta prouenientia, non tamen a debita ipſius menſura ſumpta vnquam emanantia.

Reſpondetur ſecundò, quòd aſſertio illa, vina craſſa haud inebriare, Hippocraticis reluctatur præceptis, dum in libro de ratione victus in acutis textu 23. ſcriptum eſt, quòd vinum dulce minus caput grauat, quàm vinoſum, minuſquè mentem ferit, Sed vinum dulce atque vinoſum ſunt vina cæteris craſſiora, ergo talis aſſertio Hippocrati è directò aduerſatur, ac proinde etiam vina craſſa verè vina ſunt; probatum itaque remanet quòd vinum inter alimentorum ſeriem non mediocrem tenet locum.

Confutatio eorum quæ pro aduerſa ſententia propoſita ſunt.

RObur illius validi fundamenti in hoc ſummatim conſiſtit, quòd vinum in ſubſtantiam alti non conuertitur, quia non craſſeſcit, qua Galenus in alimentorum ſerie illud conticuit, & quia nemo experientia inuenius eſt, qui ſolo vino diù vixerit, hanc nihilominus validitatem penitus profligare, haud arduum erit. & quid mi. Ariſtoteles in illo 4. Meteororum cap. 9. iurè meritò aſſerit, aquam non craſſeſcere: quia cum ſimplex ac tenuis ſit, tota in ebullitione

consumitur, ac euàporat , at vinum non simplex est, sed multis ijsq; diuersis constat partibus, crassis scilicet & subtilibus, ratione quarum aptum est crassescere , confirmatur , quia si humores tenues ac subtiles in nostro corpore existentes à calore natiuo crassescunt, ac ad mediocrem reducuntur consistentiam , ita vt extra corpus possint deduci , multò magis vinum, quòd sic tenue ac subtile non est , sed crassas habet portiones ab eodem calore magis crassescere ac ad debitam reduci consistentiam potest, ita ut commode pro perfecta inseruiat nutritione ; quando autem Aristoteles in illo cap.6.eiusdem libri ait, vinum esse aquæ speciem , vel loquitur de maximè tenuibus ac valde aquosis vinis, quæ profectò minimum nutriunt ex Galeno 2.sect.aph. 11. vel id asserit propter fluiditatis , perspicuitatis , frigiditatis , ac humiditatis actualis similitudinem, quam cum aqua habet, non autem quia eiusdem naturæ cum illa sit ; nam aqua actu & potentia frigida est & humida , vinum autem actu tantum tale est ; aqua in hypocondrijs moratur , stoliditatem animi, ac corporis segnitiem inducit, cerebro , ventriculo, alijsque membranosis , ac neruosis partibus obest, meatus constipat, ac humores firmat ; vinum autem citò hypocondria permeat, corpus vegetè, animumque alacrè reddit, vẽtriculo prędictisq; alijs partibus prodest , humores attenuat , ac fluidos facit , atque meatus aperit ; quapropter in cunctis , præter tres illas indicatas conditiones , vini natura ab aqua diuersa est : ergo harum solummodò cõditionum respectu Aristotelem, vinum esse aquæ speciem dixisse , proculdubio fatendum est .

Ad Galeni auctoritatem in primo de facultatibus naturalibus asserimus, quòd in reddendo ibidem rationem cur plurima instrumenta nutritioni seruientia natura construxerit, exemplum panis, carnis, radiculæ solummodò affert , cętera silens alimenta , nempe lac , pisces , legumina &c. quæ tamen sunt verè alimenta : si ergo & vinum connumerasset, non est arguendum id fecisse , quoniam non alit ; tum quia & alia alimenta enumerare prætermisit, cum exemplum propositurum pro suo instituto sufficiens sit , tum quia pluribus alijs in locis præter iam proposita expresse ipsum nutrire , asseruit in 6. epid. sect.4. text.20.ait, vinum aquæ præstare ad sanguinem creandum , ad nutriendum &c. & in 7. Met. Med. cap. 6. vinum maximè celeriterq; nutrire , asserit ; idem pluribus alijs in locis habet.

Locus autem ex sacra scripeura allatus, ac poetæ carmen propositũ, interpręcanda sunt de immodica vini memoria , quæ sane noxia & pernitiosa est ; cæterum debita ac modica ipsius quantitas tum in sacris litteris , tum etiam a Poetis , vt supra probatum est, maximè laudatur .

Ad experientiam quod attinet, tripliciter respondemus . primò

quòd

quòd cum ex Aristotele 21. probl. panis hominibus familiaris cibus ac naturalis sit, ab eoque nunquam abhorreant, sicuti à reliquis cibis, si frequenter ipsis vtantur, abhorrere solent, (in tam enim historiarum multitudine tres duntaxat de panis abstinentia casus habemus, vnum a Guglielmo Fabricio cent. 2. obseruatione 42. relatum, duosq; à Ioanne Schenchio libro 7. obseruationum medicinalium propositos.) idcirco nullus inuentus est qui solo vino vixerit, quia scilicet pane semper vnusquisque vtebatur.

Secundò respondetur, quòd quamuis nullus repertus sit, qui solius vini vsu dies in longum protraxerit, non arguit tamen impossibile esse, hominem solo vino diu posse viuere; nam Marcellus Donatus libro 4. historiarum medicinalium mirab. cap. 12. multas narrat historias eorum, qui per menses & annos sine vllo cibo vixerunt, ac tandem in fine capitis concludit, ac auctoritate Aristotelis aliorumque probat hominem solo aere viuere posse. Bartholomęus Anulus in picta Poesi refert, Fossorem quendam per septem dies naturales sola vrina epota vixisse, & Albertus Magnus lib. 7. de animalibus tract. 3. cap. 3. scribit, virum melancholicum sine cibo vnico singulo die aquę frigidę haustu per septem hebdomadas vitam saluam sustinuisse; si ergo aere solo qui respectu vini corpus simplex vocari debet, vrina, quæ excrementum est, & aqua, quæ pauciſſimi est nutrimenti ex Cornelio Celso libro 2. de re Medica cap. 18. prædicti homines diù dies transierint, multò magis id ipsum solo fieri vino, possibile est.

Tertio respondetur, quòd & si in veterum monumentis minimè reperiatur aliquem vino solo diù victitasse, nostris tamen temporibus id contigisse, nos ipsi oculata fide testamur: Famulam LV. circiter annorum Schledienſem habuimus, huic cum ferè omnes ceciderint dentes, nec solida mandere valens, atque à liquidorum vsu naturaliter valde abhorens, rarò quidem micæ panis, seu polentæ, seu alterius eduli pauxilum sumebat: cæterum solo vino nutriebatur, ita ut singulo anno 16. la bella è Vicentiæ mensura vini profectò biberit, erat nihilominus sana & forti, & ad negotia domus peragenda rectè se gerebat, hęc quidem solo vino nutritam esse, reuera confiteri potest: quoniam pauciſſimus erat cibus, quo non semper sed aliquando vtebatur, nec ad substantiam restaurandam in continuo seruitutis labore deperditam sufficiens fuerat. omnis propterea circa ex vini natura nutritionem absit ambiguitas: quoniam speramus totam iam propositi fundamenti vim his responsionibus planè eneruatam ac consumptam esse.

CAPVT SEXTVM.

Vinum à febribus haud Respuendum.

EXcussis ac exaratis binis illis dubijs circa manifestam vini tum imbecilli, tum etiam meraci qualitatem, intimamque ipsius nutritiuam substantiam, nunc noster iam præfixus exposcit ordo, vt circa illius opinionis, Vinum in cunctis febribus semper perutile esse, asserentis, examen firmiter versemur.

Pro cuius sententiæ tutella Viri docti integra volumina summa facundia ac eruditione prędita edificarunt; hinc si cuncta eorum fundamenta ac rationes hic transtuliſlemus, nostri quidem moris institutique limites transgrederemur; quapropter validiora, magisque florida decerpsimus, suntque ea quę non fucosa verborum elegantia induta, sed nuda ac pespicua iuxta nostri styli formam conscripta in hoc capite reperies.

Qualitates, ac proprietates vini meraci.

Hanc quidem sententiam vt exactius viri prędicti protegant, duo potissimum præaccipiunt, vnum est, quòd vinum in communi aliud est potens seu vinosum, seu meracum, aliud imbecillum, aut aquosum siue tenue vel olygophoron dictum, aliud verò mediocre, quod medias obtinet istorum facultates, potens calidum & siccum est, hoc efficaciter celeriterque nutrit, vehit, mentem ferit, putredini resistit, coquit, disgregat, aperit, ac cordi prodest.

Imbecilli vini natura describitur.

Imbecillum frigidum & humidum est, lentè parùmque alit, vehitur, caput non petit, cęteraque vini meraci, licet leuiores atq; remissiores, possidet dotes.

Alterum est, quod febris in communi acceptę causa materialis est primum cor, deinde reliquum corpus, spiritus, humores, & solida; causa formalis calor morbosus, causa efficiens magna materierum, quæ in humani corporis constitutionem veniunt, confusio: per materierum confusionem intelligunt spirituum mutationem à propria synceritate, quando scilicet temperaturam ac naturam tranquillitatem non seruant, seu humorum, quando à proprio loco recedunt, vel in quantitate, vel qualitate peccant, vel solidorum, quando magis sicca, aspera, ac arida vel tumidiora, seu exiliora, aut humidiora quã parsit, euadunt. Causa tandem finalis est actionum lęsio.

Vinũ vtile febri ob causam materialem.

His ita suppositis, probant respectu huius quadruplicis causę vinum cuilibet febri conuenientissimum esse. & primò ratione causæ materialis vinum in febribus perutile esse, sic demonstratur.

Vinum verum & unicum cordiale est, humores coquit, ipsorumq; putredini resistit, solidas humectat partes, lenit, ac roborat, ergo ui-

num

num respectu causæ materialis febribus quidem omnibus conuenit. probatur antecedens quòad omnes partes. Et quòd uinum uerum & unicum sit cordiale patet; nam propria cordialitatis natura est, cordis essentiam deperditam reintegrare ac refocilare: quare aurũ, argentum, margaritę, corallia, aliaq; huiusmodi, uera ac essentialia cordialia non sunt, quia ad cordis substantiam reintegrandam inepta existunt, per accidens tamen cordialia dicuntur, quatenus illustrando, constringendo, attenuando, seu incrassando, cordi robur aliquod indunt; cęterùm tot laudes ac encomia ipsis attributa uerè insomnia sunt, essentia autem cordis in integra spirituum minera consistit: ergo quodcumq; huiusmodi mineram conseruare illæsam, diminutam augere, & dispersam simul unire ualet, uerum & unicum cordiale nuncupandum est, sed adhoc nihil ex iam enumeratis tam præstantius, tamq; efficacius uino ipso existit, cum celeriter ac exactè ob substantiæ similitudinem in spiritus degeneret: ergo tale uerum & unicum cordiale uocandum est.

Vinum uni cũ cordiale.

Margaritæ corralia, aliaque vulgo cordialia dicta vera cordialia nõ sunt.

Quòd vero humores vinum coquit, atque ipsorum resistit putredini, probatur: vinum cum natura calidum, & nutritiuum sit, concoctionis opifici, hoc est calori nativo ad perficiendam coctionem subsidium ac opem indit: præterquam quòd ob substantiam sui vitalem author quoque concoctionis ipsius, primus motor, atque eandem perficiens coctionem æstimandum est; hinc etiam putredini resistit, quia corpulentiæ leuitate, continuitate, iucunditate, lubricitate, humectatione, abluitione, ac turbationis carentia, corruptelas contemperat, atque demulcet, sua verò caliditate siccitate, partium tenuitate, viique penetrandi, ac alendi, ipsas discutit, refrangit, exsiccat, aperit, depellit, euacuat, caloremque naturalem vegetat, ac roborat; hæc auctoritate Hippocratis 7. sect. aphor. lvi. confirmant, vbi ait, *anxietudinem, oscitationem, horrorem, vinum æquale æquali potum soluit ægritudinem*, isti autem affectus ex Galeno in commento ex corruptis oriuntur humoribus; & propterea idem Galenus in fine illius commenti hæc addit, *calefacit enim vinum, vt nouimus, corpus totum, citòque mouetur in omnes partes, & cum hoc omnes humores optimos reddit*, &c. ex quibus vinum putredini resistere clarè colligendum est.

Vinum coquit, putredini resistit.

Tandem quod partibus solidis prosit, conspicuum est; nam si solida sicca sint, temperatum seu aquosum sua humectat humiditate, si valde humida, siue tumida, meracum sua exsiccat siccitate, ac simul tumiditatem minuit, si aspera sua leui æqualitate ac vnctuositate oblinit, ac æquat, si diminuta ac extenuata, sua nutriendi virtute auget, ac reficit; quapropter à primo ad vltimum expressum manet, vinum ratione causę materialis febribus laudatissimum esse,

Vinum solidis prosicuum.

Ratio-

Ratione cauſæ formalis vinum in Febribus haud aduerſum eſſe oſtenditur.

CAuſa febris formalis eſt calor morboſus, qui non ſolùm ob qualitatis acumen, verùm etiam ob materiam ſubiecti ſui ruuidiorem, aſperam, inæqualem, ac incenſiuam ſenſum in ægroto dolentiorem imprimit; & propterea Hippocrates libro de veteri Medicina tex. 30. ait, non lædere febrem ob calorem tantùm, ſed ob *alias* qualitates materiæ mixtas; hanc ergo ob cauſam alimenta mollia in febricitantium præſidium neceſſaria ſunt, quod Hippocrates ipſe in 1. ſect. aph. 16. animaduertit dum ſcribit, *victus humidus febricitantibus omnibus conuenit*, &c. vinum autem ad hoc adimplendum aptiſſimum eſt; ſiquidem imbecillum parcè & cum prudentia exhibitum ſua frigiditate, humiditate, atque leni corpulentia, molli, ſuaui, ac delicatula, tum febris acuitati, tum materierum (in quibus ſita eſt) aſperitati facillimè occurrit, ac reluctatur, nec ex illius vſu ebulescentiam, ſiue febris, ſiue materierum incrementum formidare oportet, quia ex Galeno Libro de cauſis morborum capite 2. hoc vini meraci veteris ac acris immodicè propinati proprium ſolummodo eſt; audi eius verba; *& quidem calidæ potationes immodicæ, veluti vini veteris, & acris imbecillo corpori liberaliùs ingeſti, cauſam vt homines febricitarent attulerunt*, Cæterum vinum imbecillum quod frigidum & humidum eſt, omni excremento exutum, in ſpiritus ac tenuiſſimum ſanguinem tranſmutari paratiſſimum, has profectò fugat noxas, formæ ergo febrili huiuſmodi vinum nullo pacto nocet, quin potius ipſi, ſuique materiali ſubiecto vndequaque fauet.

Vinum imbecillum febrem non auget.

Vinum Febricitantibus ob cauſam febris efficientem beneficum eſſe, vt loquitur diſcurſus.

CAuſa febrium efficiens eſt magna materierum confuſio: hæc autem humorum, ſiue ſpirituum depurandorum congeriem indicat, ſana ab ægris ſegreganda, cunctaque in naturalem locum, ac proprios ordines reuocanda dictat.

His duplici medio ſatisfacere valemus; vno vires naturæ præſentes conſeruando, ac deperditas reſtaurando: altero ſuperfluitates euacuatione auferendo, vel temperando, ſeu aperiendo, ſeu inutilia expellendo, ſeu comixta ſeparando, aut aliquid addendo.

Hæc autem omnia nihil tam facilè, tam promptè, tam tutò, tamque valenter præſtare poteſt, quam vinum; vinum ſanè naturæ familiariſſimum, quod elapſas vires adeò reficit, in priſtinoque conſeruat

seruat robore, vt illicò ad munia propria peragenda, ac perficienda, nempe ad coquendum, secernendum, retinendum, trahendum, ac expellendum, idoneam mirum in modum ipsam quidem reddat: sic quoque cæteris apprimè satisfacit indicationibus, quia imbecillum humorum temperat caliditatem, humectatque siccitatem, mediocre sua tenuitate vias aperit, leuique calore per angustissima quæque insinuatum cuncta viarum obstacula depellit; vtrumque vinum depurat promotoque sudore ac vrina, corrupta à sanis segregat, ac extra corpus detrudit; generosum quoque vinum frigida temperat, humida siccat, ac infecta mundat, & sanat; denique quodcumque vinum optimos gignendo humores, quæ à febris violentia consumpta sunt, facillimè restituit; confusioni ergo materierum opugnat vinum, ac proinde vt saluberrimum pro febricitantibus necessario requiritur.

Tandem causæ finali Vinum aduersari, ex dictis conspicuum est, nec alia hoc indiget probatione.

His ita in communi ostensis atque probatis, probant inde in particulari in vnaquaque febris specie vinum conuenientissimum esse, & primo febribus acutis conuenire, hoc pacto contendunt.

Acutis Febribus vinum beneficum.

GAlenus 7. Methodi Med. cap. 12. præcipit quòd in morbi curatione ad id quòd vrget curantis consilium dirigi oportet; sed in morbis acutis (quorum natura in continuitate ac celeritate consistit) vires vrgent, siquidem ab acutiei violentia infringuntur, ac eneruantur, omnimodisque earum lapsus formidatur; ergo ipsis opem afferre expedit: sed ad hoc nihil tam efficacius, ac promptius quam vinum extitit; nam dispersos conuocat, consumptosque spiritus regenerat, trepidantes componit neruos, cunctaque solida, in quibus natura est diffusa, fouet ac roborat: ergo vinum acutis febribus conuenientissimum est.

Præterea Hippocrates passim in acutorum curatione ea dumtaxat commendat nutrimenta, quæ præter alimentalem, vi quoque medicamentosa sunt insignita; hinc Galenus 1. libro de victus ratione in acutis textu 27. oua, panem, pisces, aliaque & si natura boni sint succi, cum nihilominus facultate careant medicamentosa, idcirco in acutorum regimine ea quidem vetat; sed vinum hac duplici medicamentosa scilicet & alimentali pollet virtute: nam præter quam quod vires restaurat, communit, febrem etiam ad frigiditatem alterat, (præcipue si aquosum sit) materias morbificas expurgat, confusas ac crudas coquit, obstructas reserat vias, feruorem com-

Multa beneficia ex vini vsu.

compescit bilis ex Galeno 12. Meth. cap. 4. aliaque magni momenti infert auxilia, ergo vinum febribus acutis vtilissimum est.

Corroborant dicta altero Hippocratis testimonio in 3. de ratione victus in acutis textu 1. vbi hæc habet, *quibus autem vinum dulce vinosumque, & album & nigrum, melicratumque & oxymeli insignitur, in morbis acutis distinguere oportet*, ecce quòd ab Hippocrate in acutis vinum, illudque vinosum per hasce voces commendatur.

Hic viri præfatæ sententiæ animaduertunt, quòd quotiescumque vires sunt debiles etiam ab initio febris vinum meracum debet esse in vsu; at si ipsæmet viguerint, sufficit aquosum, quo per totum morbi decursum est melius vtendum.

Talia in communi pro febribus acutis discurrunt: in particulari deinde vnicuique febri acutæ vinum opportunum esse, disputant, & primò.

Causonidi Vinum perutile:

QVicumque Causonide laborant, adeò debiles ac languidi, tamque ab huiusmodi febris ardore siccescunt, vt Hippocrates in 1. libro de morbis tex. 27 asseruerit, eos præ virium imbecillitate, corporisque siccitate vt plurimum interire: hinc Hippocrates ipse in 4. acutorum textu 34. ad hæc euitanda mala, aquam mulsam aquosam coctam ad libitum bibendam in tali febre laudat: si ergo mulsa (quæ tamen suspecta est, cum mel in bilem facile vertatur) tanti ad id opus præstandum æstimata fuit, multo magis vinum ad illud ipsum perficiendum æstimari debet, quia & refrigerat, & humectat, suaque alimentali facultate vires emorientes quasi viuificat, recreat, ac fulcit, nec bilescit, quinimo ex Galeno 12. Met. Med. cap. 4. bilis ferocitatem compescit, ac extinguit: vinum ergo febri ardenti congruum est.

Vinum bili aduersatur.

Febri Synocho Vinum Salubre.

HOmo huiusmodi febre correptus ita à symptomatum sæuitia torquetur, ac à denegata corporis nutritione propter sanguinis putredinem nutritioni quidem inepti, adeò patitur, vt vires summopere fessæ, ac fractæ existant, nec illam sanguinis putredinem emendare possibile est, nisi ope caloris occlusis iam viis reseratis impuræ portiones à sanguine puro segregentur, ac deplean-

tur: modo vitam amissas iam vires regenerat, fessas restaurat, putredinem emendat, sua tenuitate ac fluxibilitate vias obstructas

rese-

referat, impuraq; euacuat, ac excernit; Synochis propterea febribus vinum perutile censendum est.

Easdem ferè rationes aut parùm dissimiles proponunt in demonstrando alijs quoq; febrib. acutis saluberrimũ esse. Post hęc febrib. etiã tertianis, quotidianis, quartanis, tum continuis, tum etiam intermittentibus, item ephemeris, diuturnis, ac breuibus, vinum perutile existere, longo quidem discursu probant; quæ tamen omnia hìc transcribere tędiosum, ac superfluum existimamus, cum pręcipuè ex solutione eorum, quę hactenus proposita sunt, cęterorum quoque omnium solutio facilè patens erit: quæ duntaxat de febre breui, *Hectica*, ac Pestilenti peculiariter dicunt tanquam maioris momenti, non te tędeat audire.

Febribus breuibus Vinum vtilissimum.

HIppocrates & Galenus 2. de ratione victus in morbis acutis tex. 22. cauendas consuetudinis mutationes præcipiunt, & in aphorismis, alijsq; locis consuetudinem esse inspiciendam, non rarò assẽuerant; nam consuetudine violata, natura maximè turbatur: hinc ipse Hippocrates in lib. de affectionibus tex. 38. hæc habet; *quibuscunque cibis aut potibus homines sani in victu vtuntur, ex ijs oportet præsentibus vti ad ægrotos*, &c. si ergo ægrotanti (qui meri delicijs iam assuetus fuerat) in febre breui inassuetus, ac ingratus potus (sicuti sunt aquę quibus hoc tempore vulgares vtuntur) exhibeatur, natura profectò valde vexatur, ex quo non mediocre detrimentum patienti infertur: quare ne in tali mutatione humores commoueantur, quęlibetq; vitetur noxa, in huiusmodi febre vinum tanquam ęgrotanti gratum, ac consuetum haud reijciendum est.

Febribus Hecticis Vinum Proficuum.

IN harum febrium curatione duę potissimùm sunt intentiones, refrigerare scilicet, & humectare, respectu intemperiei calidæ & siccæ, ac humiditates iam consumptas renouare; his quidem intentionibus vinum exactè satisfacit; nam vinum imbecillum refrigerat & humectat, cumq; summè alimentosum sit, deperditas innouat humiditates.

Et si aliquis dicat, quòd lac & Balneum remedia his temporibus familiaria, experta satis, ac magis tuta indicatis intentionibus efficaciùs satisfacere valent, respondent negatiuè; quia lac minùs aptè ac difficilius in sanguinem trasmutatur, leue alimentum, fluidum, ac corruptioni facilè dispositum est; è contra vinum citò ac facilè in-

sanguinem vertitur, firmum, ac forte alimentum, semperque incorruptibile existit. pręterea quodlibet sanguinis genus, de quo in hectricis opus est, vinum aptum est generare; nam crassa viscidum, imbecilla aquosum, mediocria mediocrem generant sanguinem. lacte ergo vinum proculdubio præstat, pręstantius quoq; ipso Balneo existit: quoniam vinum præter humectationem & refrigerationem, quę à Balneo causantur, vehementer etiam alit, aliaque multa præstat, quæ Balneo denegantur, vinum itaque super omnia in hecticis laudatissimum debet esse.

Pestilenti febre vexatis vinum semper beneficum.

OB tres causas vinum in hisce febribus non est denegandum, quarum prima est, in pestilenti febre calor sępius ex Galeno lib. 9. de simpl. medicam. facultate non multùm vrget: ergo haud formidandum istis imbecillum vinum propinare, hinc Galenus ipse in libro eodem ad famiam deuorandam vt per pręcordia faciliùs deuehatur, vinum, quod efficaciter vehit, collaudat.

Secunda causa est, quia in hisce febribus insignis ac maxima existit putredo: unde uinum meracum necessarium est: nam tale sua sicca & incorrupta substantia putredini oppugnat, caloreque suo obstructas recludit uias, densata disgregat, retentarum effumationum turbida consumit, humiditatesque turbidas (quę ex Auicenna ob caloris natiui debilitatem, uel ob humiditatum abundantiam uentriculum inundantium ubertim diffluí solent) exsiccat ac simul dissipat. Propterea temerè asseritur uinum putredinem augere; quoniam siue putredo ex Aristotele 4. Met. cap. 2. caloris natiui interitus, siue mutatio ex Galeno 11. Met. Med. cap. 8. ad corruptelam existat, tantùm abest ut putredinem augeat, quòd potius putredini efficaciter resistat, ac aduersetur, quia uinum sua uitali facultate potius fouet ac auget calorem, atque spiritus componens, euacuansque excrementa a quacumque noxa eundem sanè liberat; quapropter nec interitus nativi caloris, nec mutatio ad corruptelam uinum unquam existit.

Vinum putredinẽ non auget.

Tertia causa est, quia in his febribus uires summopere languent: quarè uino maximè nutritiuo ipsis opem & auxiliũ afferre oportet; nec in talibus concoctio expectari licet: quia in morbo ita acutissimo fugit occasio, in morbis enim ualde acutis ex Hippocrate 4. sect. aph. 10. tardare malum est, & propterea absque mora uini auxilijs ipsas munire oportet.

Ex his concludunt, quòd aquę cordiales dictę, theriaca, restaurum, aliaque solita in his febribus ęgrotantibus exhiberi, sunt uel planè inutilia, uel saltem uino ipso minus efficacia: nam theriaca atq; aquę cor-

cordiales dato etiam quòd ſpirituum corrigant noxas, ac expellant, ipſoſque depurent, ac acuant, ut uulgariter dicitur, adhuc tamen uino ipſo nobilitate ac pręſtantia inferiora ſunt; ſiquidem uinum prę-ter hæc, quid quoque altius prodit, nempe ſpiritus uiuificat, regenerat, caloremq; innatum quaſi extinctum reſtituit, ac refocilat; reſtaurum etiam cęteraq; alia ſunt ualde infirma, fluida, citò conſumptibilia, uinum uerò ſtabile ac conſtans alimentum, diuq; ægrum in uita conſeruans, & enim expreſsè apparet quòd uinum etiam liberaliter hauſtum corpus humanum à prauo ac inſalubri in bonum ac ſaluber rimum reducit ſtatum: quarè ſi ubertim in hiſce quoq; febribus hauriatur, in quibus ob celeritatem ac vehementiam habitus valde pranus ac damnoſus introductus eſt, multùm quidem proficiet; Hinc Plutarcus in vita Cæſaris refert Peſtem in Gompho, qua milites ex vitioſa victus ratione laborabant, vinum largè hauſtum perſanaſſe, haud mirum ergo ſi dicatur, quòd vinum cuncta antecellit, magna vini virtus, maximaque eius laus exiſtit: quarè vt cunctis ſanctius novini virtus, maximaque eius laus exiſtit: quarè vt cunctis ſanctius nobilius, ac venerabilius in omnibus febribus exiſtit: ita cuncti Medici eundem eligere, amplecti, ac venerari tenentur.

Vinum theriaca, & aequis cordialibus prestantius.

Vinum ubertim epotum peſtem & alios affectus curat.

CAPVT SEPTIMVM.

Sententia eorum, qui in quacunque febre Vini vſum denegant deſcribitur.

EXtrema ac è directo contraria enarratæ iam ſententiæ quorundam extat opinio; ſuſtinent enim quòd cuilibet febri vinum ſemper pernitioſum exiſtit; idque propter tres cauſas, quarum prima talis eſt, in qualibet febre eſt intemperies calida & ſicca vel in fieri, vt in humoralibus, vel in facto eſſe, vt in hecticis: talis remedia revt in humoralibus, vel in facto eſſe, vt in hecticis: talis remedia requirit frigerantia & humectantia expoſcit, ad quod Hippocrates 1. ſect. aph. 16. reſpiciens, aſſeruit, *victus humidus febricitantibus omnibus conuenit* &c. ſed quodlibet vinum etiam ſi imbecillum & olygophoron ſit, calidum eſt, cuius rei argumento eſt aqua vitæ, quæ ex tali extrahitur vino, ac acetum, in quod idem conuertitur vinum, quod tamen aliquam habet caliditatem ex Galeno x. Met. Med. cap. 8. ergo quodlibet vinum febribus noxium eſt.

Secunda cauſa eſt, quia febris vel à materia calida, vel à frigida ortum ducit ſi à prima perſpicuum eſt, vinum maleficum febri ipſi exiſtere; quia illi axiomati, contraria contrarijs curantur, aduerſatur, cum enim materia ſit calida refrigerantibus, non calidis, vti eſt vinum, oportet vt curetur; ſi verò à ſecunda, etiam importunum eſt;

quia frigida materia putrefacta, iam calefacta est, diutiusque calorem retinet, ratione propterea illius aduentitij caloris vinum nequaquam proficuum est.

Tertia est, quia perpaucæ febres sunt, in quibus dolor capitis, vel saltem eiusdem grauitas non adsit, seu futurus non expectetur: sed in his casibus vinum semper nocentissimum est vt neminem latet, & propterea Hippocrates in 3. de ratione victus in morbis acutis textu 7. præcipit, vino haud vtendum, si capitis grauitas, vel mentis concussio adsit, quia vinum etiam imbecillum vaporosum est, facilèque caput iam affectum ac bene dispositum petit, præterea sua caliditate, quamquam leui, materiam mouet febrilem, qua commota vapores eleuantur, atque ad caput ascendentes, plurima pariunt detrimenta, vinum ergo febribus nullo modo proficuum existit.

Corroborant hanc opinionem Plinij auctoritate, qui in libro 23. capite primo asseuerat, vinum febricitantibus haud exhibendum, nisi senibus, ijsque in febris tantum remissione, his & similibus rationibus & auctoritatibus studeant sustinere, quòd vinum febribus cunctis improprium semper ac pernitiosum existit.

CAPVT OCTAVVM.

Tertia ac media inter iam enarratas sententias propouitur opinio.

VEtus est effatum extrema semper vitiosa esse, hoc præcæteris, in nostro casu vt verissimum emicat, falsa etenim ac praua est sententia illa asserens, quòd cuilibet febri vinum maleficum ac inutile existit, fallacior verò ac peior est altera exaggerans, vinum febricitantibus cunctis saluberrimum esse. media inter has sententia, quòd quibusdam febribus conuenit, quibusdam verò non, atque aliquando est concedendum, vt plurimum verò denegandum, est vera ac optima, hanc nos vt proficuam amplectimur, ac tuemur, huius perfectionem veluti aurum, praxi ipsa quasi lapide Lydio puram ac inculpatam experti sumus, hanc itaque (quantum nostræ virium imbecillitati datum est) sustinere, ac protegere accingimur: quare sit.

PRIMVM MEMBRVM.

Correptis qualibet febre acuta vinum detrimento semper est.

IN quacumque febre acuta febrilis calor vehemens existit, siue intus latens sit, siue etiam suæ vehementiæ inditia extra præbeat, qui quidem

quidem calor humores comburit, corpus exsiccat, membrorum pinguedinem liquefacit, & si diù perseueret, cunctas anihilat humiditates, atque hominem in Marasmum, lętemque ineuitabilem inducit, materia quoque harum febrium semper calida à prædominio est, & ne percontrariam alteretur qualitatem, siue depleatur, febre magis ac magis aucta, tandem homo interficitur; hinc Galenus in 1. ad Glauconem capite 13. de curatione febrium continuarum agés hęc habet, *quòd verò humidus victus febribus acutis omnibus iuuat, dudum rectè dictum est*, vnde postea ptisanam, alicam, mulsam, aquam frigidam, pro earum eradicatione duntaxat proponit, & in 11. Met. Med. cap. 9. sic loquitur, *Cæterum vbi magnitudo febris obstat sicuti in continentibus, nec vino est vtendum nec lauacro* &c. Auicenna quoque in 1. 4. tract. 2. Paulus Aegineta libro 12. de re medica, alijque auctores pro febrium acutarum regimine ptisanæ cremorem, syrupum acetosum, emulsiones ex frigidis seminibus confectas, mulsam, valde aquosam, & similia efficaciter frigida proponunt, si ergo hæc vera sunt, atque si horum Medicinę Auctorum verbis fides præstari liceat, conspicuum manet, quòd vinum quodlibet hisce febribus aduersissimum est; nam illa febris vehementia iam descripta, quæ enarrata parit accidentia, ac materię ipsius caliditas non possunt vllo pacto, nisi summa refrigerantium & humectantium exhibitione vinci atque expugnari, & propterea prędicti auctores solis frigidis & humidis in harum febrium curatione vsi fuere, vinum autem summè refrigerans & humectans non est, quia verè calidum, etiam imbecillum existit: ergo hisce febribus nullo modo conuenit.

Confirmatur si Hippocrates in 1. libr. de rat. victus in morbis acut. multis in locis ptisanam ante diem quintum vel septimum suspectam in acutis affectionibus habuerit, verba eius præcipuè in textu 21. sunt hæc, *verùm inter initia neque multam, neque crassam admodum dare oportet*, &c. & infra textu 34. ait, *si quis ptisanam dederit die 7 moriuntur ægri alij delirantes, &c.* & Galenus ex sententia ipsius Hippocratis in com. textu 19. libri indicati inquit, quod vbi adest periculum cremore, vbi verò non tota ptisana vtendum est: si ergo ptisana, quæ alimentum medicamentosum, leue, ac facilè superabile, frigidumque ac humidum existit, ita apud antiquos Medicinæ Scriptores suspecta fuerit: multo magis vinum in istis febribus, in quibus incendium continuum, & periculum inseparabile præsentia sunt, suspectum tanquam calidum, & non sic facilis concoctionis, ab ipsis auctoribus haberi debet, vinum enim calefacit, febri febrisque materiæ incrementum præbet, humores fundit, præcipitesque facit, putredinem auget, dolorem capitis, si adest, acutiorem reddit, si desit, vel futurus sit, ipsum inducit, simulque

Vinũ quot affert mala

ace-

accelerat: & propterea Galenus 1. libro ad Glauconem capite 14. hoc aureum nobis præteromisit præceptum; *aduertendum est an aliquid sit, quod vini exhibitionem prohibeat, vel vti si aliquid vnum ex visceribus inflammationem patiatur, aut caput vehementiùs doluerit, aut passio aliqua quę delirare cogat, aut febris incodens in morbo crudo, magna enim & quasi insanabilia ex potu vini in huiusmodi affectibus nocumenta proueniunt*, modo neminem latet in febribus acutis cor, hepar que non paruum incendium quasi inflammationem perpeti, dolores capitis magnos, deliria, crudos humores, aliaque peiora adesse, vinum ergo ab his tanquam anguis & pestis reijciendum est.

Obiectiones ac responsiones circa hoc membrum.

SEd aduersùs iam dicta aduersæ sententiæ Viri acriter litigant, asserentes, quòd vinum duplicis generis est, aliud imbecillum, meracum alterum; primum est frigidum & humidum, atque hoc acutis semper proficuum est, nec vllum ex enarratis nocumentis ægrotanti ex ipsius vsu infertur; quia nec calefacit, nec humores mouet, nec putrefieri potest, quin putridas corrigit materias. Secundum verò est calidum, hocque non nisi in virium debilitate acutis febribus laborantibus conuenit, quæ quidem virium infirmitas cum à principio in huiusmodi febribus adsit, idcirco etiam ab initio per totum morbi decursum eisdem vinum tale exhiberi potest; nec verendum febrem, febrilemque materiam incrementum sumere, siue humores agitari, vel aliud causari damnum, quoniam non quælibet res calida talia apta est causare, sed ea tantum quæ cum calore morboso eiusdem spetiei sunt; modò calor istius vini moderatus, naturalis, ac gratus naturæ, citò in languentium membrorum substantiam conuertitur, febrilique calori spetie aduersatur.

Imbecillum vinum nec calefacit, nec putrefit.

Meracũ vinum febrem non auget.

Præterea dato quòd febrem, febrilemque materiam valeat augere, id verum est de multa vini quantitate; nam pusila eius hausta quantitas, febrilis foci molem haud auget: quia in substantiam corporis celeriter abit.

Vinum humores haud agitat.

Humores etiam stabiles nequaquam mouet, & agitat, quia actu calida id solummodo agunt; calida verò potentia, vt est huiusmodi vinum in pauca quantitate sumpta, haud sanè mouent.

Putredinẽ non auget.

Sic quoque vinum ipsum putredinem minimè augmentat; quia sua stabili, incorruptibili, calefactoriaque qualitate putredinem ipsam discutit, ac dissoluit.

Tandem dolorem capitis minimè auget, nec ipsum causare vllo pacto idoneum vinum existit, nam vapores ex ipsius potatione elc-

uati,

uati, ſuaues, placidi, ac benigni ſunt, ac proinde ad huiuſmodi dolorem gignendum ſeu increſcendum ineptiſſimi exiſtunt, præterquam quòd ſi multa alia calida naturæ profectò ingrata febricitantibus propinantur, cur vinum naturæ amiciſſimum, etiam ſi calidum ſit, minimè exhibendum eſſi? equidem rationi magis conſonum exiſtit, hoc quàm cętera calida febricitantibus propinari.

Vinum capitis dolorẽ nec cauſat, nec auget.

Nec obſtat quòd Hippocrates locis citatis ptiſanam ante diem 5. vel 7. ſuſpectam habuerit: quoniam ea Hippocratis tempeſtate ob fortes continuaſque corporis exercitationes hominum corpora dura, valida, ac difficulter diſſolubilia extiterunt: hac ratione ſola ſorbitione tunc per tot dies abſque vlla noxa perdurabant: ex aduerſo his ſæculis ob quietis, ac otij diuturnitatem corpora mollia, debilia, ac effęminata ſunt, facilèque diſſoluuntur; propterea his ſola ſorbitio, ſeu ptiſana minimè ſufficit; ſed ad debitum virium robur conſeruandum aliquid aliud opportunum alimentum addendum eſt: ſed nihil tam efficacius quantum vinum exiſtit: ergo à tam ipſius ſalubri vſu recedere non licet.

Litigiorum Confutatio.

SEd cuncta hæc ficta veritatis facie induta eſſe, iam iam demonſtrabimus. Equidem verum non eſt, vinum illud tenue (licet optima diuiſio in imbecillum & mieracum facta ſit) frigidum & humidum abſolutè eſſe: quoniam manifeſtè (licet in remiſſo gradu reſpectu potentis) calfacit, vt iam in capite 4. probatum eſt. hinc negamus, quòd imbecillum nec mouet humores, nec caput petit: quia quod eſt maximè penetratiuum vti vinum ipſum eſt, & mouere poteſt humores, & caput lædere; hoc teſtatur Ariſtoteles 3. ſect. probl. 3. vbi ait, quòd vinum aquoſum magis caput, & mentem lædit, quia magis penetrat; quòd autem magis penetret, ipſe experientia in ſect. citata 22. probat, vbi dicit quod maculæ è vino rubi factæ difficulter delentur; quia cum valde permeabile ſit, firmiter ſubiecto adhæret: mouet ergo imbecillum vinum humores, atque caput etiam ferit.

Imbecillũ abſolutè frigidum non eſt.

Caput petere imbecillũ ex Ariſt. colligitur.

Negamus quoque illam propoſitionem, quòd imbecillum non corrumpitur, quinimo putredinem corrigit; nam ſi in dolio ſuo proprio loco exiſtens, vbi debet immune à corruptione manere, cum locus proprius locati conſeruatiuus ſit, attamen in Creta Cypro, alijs regionibus calidis, quinimò etiam in frigidis aſtuis temporibus, numquam incorruptum poteſt conſeruari: quia ab ambientis calore, cum ſubſtantiæ lenis ac tenuis ſit, attracto intrinſeco ipſius calore, facilè alteratur, atque corrumpitur; multo magis in

Corrumpitur imbecillum.

febri-

febricitantis corpore, vt in alieno loco repertum, à caloris febrilis inclementia ad alterationem disponi, ac tandem ad corruptelam induci, haud difficilè est : testantur hoc verba Alexandri Tralliani lib. 12. de re Medica sub capite primo relicta, quæ talia sunt, *accidit enim in calidis admodum domicilijs vt vinum nonnumquam in acidum conuertatur*. Cum ergo imbecillum alterationi & corruptioni dispositum sit, si febricitanti exhibeatur, corrumpitur quidem, ex cuius putredine humorum quoque crescit putredo, atque non pauca patienti damna afferuntur.

Meracum in virium lãguore noxium.

Quòd ad meracum attinet, quod in virium debilitate per totum morbi decursum tutò exhiberi posse, asseuerant: nos asserimus huiusmodi vini potionem ipsam febricitantis potius pernitiem, quàm salutem existere, nam vt Ioannes Fernelius lib. 1. de causis morborum capite 14. perdoctè ait, quemadmodum calx ad arborum radicem conspersa fructum quidem accelerat, arborem verò perimit; sic meracum vinum suscitato calore spiritus & facultates erigit, morbum autem ex alia parte augens, mortem profectò maturat, dum enim spiritus, caloremque natiuum pro tempore fouet, sua caliditate & siccitate humidum minuit radicale, atque sensim ac sensim omnino dissipat, ex quo homini tandem interitus contingit. Accedit quòd languidus febricitantis ventriculus crassum alimentum, sicuti est vinum potens, haud coquere valet: vnde si propinetur, praui multiplicantur humores, qui ægrotanti detrimento erunt; huiusmodi ergo vinum febricitantibus; etiamsi virium adsit imbecillitas, valde quidem pernitiosum est.

Calor vini eiusdem speciei cum febrili calore existit.

Ex his concludimus, quòd falsò dicitur vinum meracum febrem non augere, cum eiusdem spetiei cum ea non sit: quoniam vinum sua caliditate ac siccitate humiditates corporis innatas consumit, ac annihilat, tremorem causat, neruis, capitique nocet, aliaque inducit mala, sed talia etiam febris inducere solet, ergo cum ea vinum eiusdem spetiei est. præterea quod alterius est causa, etiam eiusdem speciei cum illo est, sed vini meraci calor ex Galeno libro de causis morborum capite 3. febrilem causat calorem, ergo isti duo calores eiusdem speciei sunt, & propterea Galenus ipse libro de succorum bonitate, ac vitio capite 11. ait, quòd vinum meracum nec biliosis, nec perustis conuenit, vbi per perustos intelligit quidem maximè febricitantes: vetat ergo in talibus meracum, ne febris augeatur, ac per consequens calor vini, cum febrili calore eiusdem speciei est.

Nec valet dicere quòd ibidem Galenus de immodica vini mensura loquitur; quoniam magis & minus non tollunt spetiem: satis est quòd meracum ex sui natura in corpore benè disposito, vt est

febri-

febricitans, ſumptum febrilem calorem intendere poteſt; hoc autem tum modica tum etiam magna vini quantitas facit, ergo &c. ſic etiam non valet dicere, quòd vinum alit, calor febrilis potius extenuat: ergo ſpecie differunt, quia vinum ſanè nutrit, ſed in corpore ſano, at in febricitanti potius conſumit, & hoc eſt quòd magnus Hippocrates in libro de alimento tex. 8. aſſerebat, quòd vinum alijs eſt alimentum, quibuſdam non alimentum, alimentum quidem corpori ſanitate fruenti, non alimentum vero febre laborantibus, quia ſcilicet in febrem totum abit.

Etiam modica vini quãtitas febrem auget

Tanquam falſum etiam haud concedimus puſillam vini quantitatem in corporis ſubſtantiam abſq; febris incremento conuerti; quoniam incendium febrile eundem vinum veluti abſorbet, flammaque tunc magis augetur, nec in ſubſtantiam corporis tranſmutari relinquitur, hoc experientia docet, ſi quis in fornace modicum vini, aut aquæ, aut olei effundat, obſeruabit profectò ſtatim ignem augeri, vehementioremque flammam eleuari, ſic etiam ſi quis acuta febricitanti febre, in cuius viſceribus veluti ardens exiſtit fornax, vinum præbuerit, experietur quidem febrem maiorem fieri, ac ab ea veluti flammei vapores per vniuerſum diffundi corpus, ac per conſequens non in corporis nutrimentum, ſed potius in febrem etiam modica vini quantitas conuertitur, & ratio etiam eſt: quia vinum meracum calidum & ſiccum eſt ex Hippocrate libro de diæta textu 13. febris eſt intemperies calida & ſicca, corporis nutriendi naturalis temperatura eſt calida & humida, quia vita in humido ex Philoſopho conſiſtit: ergo maiorem cum febre vinum habet ſymboleitatem, quàm cum corpore nutriendo; ſed facilior eſt tranſitus in ſymbolis quàm in diſymbolis auctore Ariſtotele 2. de generatione & corruptione textu 25. ergo facilius in febrem quàm in corporis nutritionem tranſmutari poteſt: quocumque itaque modò ſiue in pauca ſiue in multa menſura correptus febre vinum aſſumat meracum, ſemper quidem perientiet ſeſe magis quàm antea febricitari.

Meracum cum febre habet ſymboleitatem, diſymboleitatem verò cum partibus nutriendis

Non eſt quoque vera illa aſſertio, quòd calida tantum actu, non autem potentia humores mouent & agitant; quoniam etiam calida potentia, actuata tamen a calore natiuo, idem efficere valent, vinum itaque præcipuè meracum, a natura in humano corpore à potentia ad actum reductum, eadem præſtare poteſt, quę etiam actu calida præſtant, ſua enim natura fluxibili, calefactoria, ac purgatoria vi humores exagitat, ac de loco ad locum trasfert, ex quo & obſtructiones, & dolores capitis, aliaque mala cauſantur.

Vinum materius humorales agitat

Non eſt etiam meracum corruptionis immune, quòniam omnia putreſcunt præter ignem ex Ariſtotele 4. Meteororum, videmus enim æſtiuis temporibus, tempore præſertim Caniculæ, vina etiam meraca

Corrumpitur meracum

 cum.

fæpius corrumpi : ergo multò magis in corpore febricitantis ab incendio febrili corrumpi poteſt, vbi enim ſunt duo calores inęqualis vigoris, maior minorem attrahit, ex quo fit, vt res illa cuius eſt calor minor, ſuo deſtituta calore, ęgrotet inde ac corrũpatur, calor ergo vehemens febris, minorem meraci calorem attrahens, ac alterans, ipſum ſanè corrumpit, ac per conſequens non benigni, vti dicunt, ſed acres ac maligni ab eo eleuantur vapores apti ad multa ac varia inferenda mala.

Nec valet dicere quòd multa alia calida magis, quàm meracum vinum ſumuntur; nam acutis febribus vel planè talia calida, ſed tantum frigida, haud exhibentur, vel ſi prębeantur, ea quidem minimè vt nutrimenta, at vt deiectoria propinantur, quę humores euacuando, per accidens corpus refrigerant, vnde potius per accidens refrigeratoria, quàm calefactoria nuncupari debent, pro alia intentione acutis febribus remedia calida haud permittuntur, vinum autem & ſi purgatoria aliqua vi prędituin ſit, cum tamen valde debilis ſit, humores euacuandi vim haud habet, ſicque eos duntaxat mouet, atque agitat, ſed non euacuat, ex quo innumera ſolent cauſari detrimenta, quę ſummatim Galenus 3. de ratione victus in acutis textu 3. tangit, dum ait, *vinoſum valenter igitur & calfacere, & caput replere, & deſipientias procreare, & calorem febrilem augere eſt operę prætium*, huius itaque potio, etiam ſi vires debiles ſint, valde tamen in acutis febribus noxia exiſtit.

Id quòd denique addunt de corporum debilitate maiori hac tempeſtate exiſtente reſpectu Hippocratis temporum, inane quidem refugium eſt: nam & hiſce temporibus corpora dura, fortia, exercitata, apta ad inędiam tollerandam reperiuntur, abuſus nihilominus quorundam Medicorum varijs ferculis delitijs plenis, ac iucunda vini potione ea debilia (licet non ſint) quotidie reddit; nam *ſi quis cibum febricitanti dederit, vt ſano robur, ſic laboranti morbus*, docet Hippocrates 7. ſect. aph. 69. vbi de cibo non modò ſolido, verum etiam liquido difficilioris coctionis, ſicuti eſt vinum meracum, loquitur; certum enim eſt quòd cale a ventriculo debili rite concoqui haud poteſt, potio ergo meraci corpori acuta laboranti febre non vires conſeruabit, ſeu augebit, ſed potius nouum addicabit morbũ: experientia etiam conſtat, quamplurimos ſolo ptiſanę cremore, ſeu alio ſimili vſque ad ſeptimam, vndecimam, vel decimam quartam diem cum felici ſucceſſu ſeruatos eſſe. hoc in Creta præcipue obſeruatur, vbi licet propter regionis caliditatem corpora ibidem ęgrotantium magis diſſoluantur, nihilominus ſola panatella, vel hordei ſucco in aqua ſimplici cocta, vſque ad humorum concoctionem absque vllo vitę damno victitantur. hanc medendi Methodum multi percelebres

Etiam his temporibus inędia tolleratur.

lebres Medici, quos nos obseruauimus, nosque ipsi in hac Italiæ regione vt felicissimam experti sumus; falsum ergo est asserere, quòd acuta febre conquerentes sine vini potione per multos dies non possunt immunes seruari.

MEMBRVM SECVNDVM.

In acutarum febrium declinatione vinum non meracum, sed imbecillum proficuum.

VTinam Vini potio febricitantibus haud obesset; quia Medicus facilius & virtutem custodire, & gustui ægrotantis indulgere posset: at quoniam valdè lædit: idcirco consultò ab eo abstinere oportet. hoc generaliter de quacumque alimonia Galenus in 1. de ratione victus in acutis textu 44 considerat, dum ait, *si igitur morbosam affectionem nullo pacto offenderet alimonia, nos virtuti soli attendentes, ægros vt sanos aleremus: sed quoniam noxam affert, ob id morbi affectionem non tanquam cibi indicatricem, sed tanquam prohibitricem contemplamur*, febris ergo acuta quolibet tempore præter declinationem alimoniam, præcipuè vinum prohibet; & hoc propter ea damna, quæ ab intempestiuo eius vsu afferri solent, vt iam probauimus; quæ omnia tamen vitantur, si in declinatione propinetur: quia cum corpus purgatum sit, ipsaque febris valde remissa sit, haud verendum febrem, vel materiam febrilem augeri: etenim tali tempore perutile vinum esse, hæc præcipuè ratio suadet: vires tunc nimium fessæ, ac tractæ propter pugnam cum morbo habitam existunt: vnde necesse est, vt suffragium cum optimis alimentis, vti est vinum, ipsis feramus, vt inde morbosæ affectionis reliquias facilius consumere valeant, ne recidiua tandem contingat: debet autem tale vinum imbecillum esse, non meracum, vt innuimus, quia vires eo tempore cum ob prægressam pugnam languidæ existant, alimentum crassum, vt est meracum, concoquere & superare, difficultas ipsis quidem est; expedit ergo leue quid ac tenue, vt est vinum imbecillum, exhibere, quod quidem haud multo labore concoquitur.

Hæc Hippocratis & Galeni placitis conformia sunt. Hippocrates in 2. de ratione victus in acutis textu 54. hæc habet; *sorbitionibus haud quaquam vtendum priusquam morbus ad maturationem perductus fuerit*, &c. si ergo sorbitiones ante humorum maturationem, multo magis vinum, quod grauius est alimentum vetare intendit; magis ad propositum nostrum in 2. de morbis textu 36. loquitur, vbi de febris biliosæ curatione agens, hæc scribit: *vbi verò remisse-*

rit febris, ptisanæ succum, aut milium tenue sorbeat, & vinum album odoratum aquosum insuper bibat, &c. & in textu 65. eiusdem Libri de cura cuiusdam febris valdè acutæ sermonem faciens, hæc subdit: *postquam verò septem dies præterierint, & febris dimiserit, milium lingat ad vesperam, cucurbitas aut betas paucas sumat, & vinum album aquosum inde bibat*: in 3. etiam Libro de morbis textu 6. post purgationem in febre ardenti vinum allaudat: febris autem est in declinatione, cum corpus purgatum fuerit; quia *concocta medicari*, &c. in quarto quoque de rat. vict. in acut. tex. 41. post corporis purgationem vinum proponat: quia supponitur tunc febrem declinatam esse. Galenus etiam 11. Met. Med. cap 9. præcipit, corpore prius euacuato, vinum aquosum bibendum; idem multis alijs in locis. Ex his duo ad nostrum propositum eligimus, vnum est, quod mens vtriusque Magistri est, vinum duntaxat in febris declinatione esse præbendum: alterum est, quòd tale vinum aquosum seu imbecillum debet esse: vera ergo est nostra propositio, quòd vinum illudque imbecillum, non meracum febribus acutis iam declinatis conuenit.

Obiectiones & responsiones circa hoc Membrum.

Non est expectanda febris declinatio in vini exhibitione.

ADuersus iam dicta aduersarij duplici contendunt hasta, auctoritate scilicet & ratione; auctoritas est Hippocratis tertio de rat. vict. in acutis textu 7. vbi vinum nigrum, austerum [in morbis acutis laudat quotiescumque excrementa humentiora, & ramentosa magis fuerint; sed quando excrementa talia existunt, febris non in declinatione, sed adhuc in augumento, & in vigore existit: ergo vinum non solùm in declinatione, verùm etiam alijs febris temporibus est exhibendum.

Ratio est talis: in febris declinatione iam natura supra morbum victoriam habuit; ergo ridiculum est, tunc ipsi suffragia afferre, quo tempore cum pugna iam transacta sit, auxilijs haud amplius indiget; tempore enim pugnæ quo natura ad morbum vincendum adeò conatur, opus est, vt illi succurramus: in vigore ergo alijsque morbi temporibus, non in sola declinatione, auxilia cum vini potione naturæ subministranda sunt.

Obiectionum Solutio.

SEd vana excogitant quidem isti viri, ac meditantur; nam Hippocratis loco illo citato mens est, febrem in qua vinum proponit in declinatione reuera existere; ideò vinum commendat; ratio est,

est, quia vinum nigrum austerum proponit vt alui fluxum adstringat: adstringentia autem nisi corpore purgato nunquam adhibentur, ne materiæ noxiæ intus retineantur, ac morbus inualescat: dum autem corpus est euacuatum, febris, atque accidentia ipsam concomitantia ad declinationem tendunt, vel in eadem existunt declinatione, vinum itaque in ea febre ideò laudat, quia supponit in declinatione ipsam existere.

Nec valet dicere quòd quando excrementa sunt humentiora, & ramentosa, febris non in declinatione, sed in vigore existit: quia verbum illud *fuerint*, tempus denotat præteritum, quod arguit Hippocratem loqui de febre, in qua excrementa humentiora, & ramentosa iam fuerint, non quòd sunt; hinc vino adstringenti vtendum præcipit, vt venter ac intestina corroborentur, vlcus ab humorum acredine relictum sanetur, impediaturque ne nouus concitetur fluxus, alius quidem huius loci sensus nequit esse: quoniam scientiæ Hippocraticæ regulæ iubent, nisi coctis, & euacuatis excrementis, adstringentibus haud vtendum.

Ad rationem quoque respondemus, quòd in declinatione vini auxilium magis quam alio confert tempore; nam tunc vires sunt fractæ, natura ob conflictus laborem iam fessa est: vnde ne succumbant, ac ne morbus recidiuetur, celeriter congrua vini potione ipsis est auxiliandum; alijs autem temporibus maximè obesset, quia & naturam ad sui conuerteret coctionem, ac proinde à pugna aduersùs morbum ipsam distraheret, & febrem augeret, aliaque supra recensita afferret inconuenientia, quorum nullum in declinatione inducere posset; quapropter tali tempore in febribus acutis imbecilli potio salubris potest esse.

MEMBRVM TERTIVM.

Acutis febribus cum virium debilitate vinum imbecillum necessarium est, dummodò aliqua capitis grauis affectio haud infestat.

COgimur in Medicina ad maiora euitanda mala cura irregulari quandoque vti: Galenus 11. Meth. Med. cap. 21. ait; cauenda est ante accessionem cibatio ceu res maximè noxia; nihilominus & in eodem cap. & in libro 12. cap. 6. docet, quòd vbi os ventriculi vexatur, & syncops timetur, etiam parùm ante accessionem, & in ipsa accessione cibandum. hoc quoque præceptum Auicenna 1. 4. trac. 2. cap. 7. tradit; hæc autem non nisi in virium gratiam concedunter; nam auctore eodem Galeno 9. lib. Meth. Med. cap. 13. præ-

cipua

cipua indicatio in morbis curandis à viribus sumitur; quamuis ergo vinum acutis febribus inconueniens esse, iam sancitum sit; ob vires nihilominus debiles aliquando in talibus existentes febribus, necesse est, vt ipsis haud denegetur: nam vt Galenus xi. Met. Med. cap. 2. monet, Medico propositum est virtuti omni ratione opitulari, ac subuenire. Zeleucus, teste Cæsare Cappacio, magna Legis seueritate Locrensis vinum prohibuit; in virium tamen lapsu ipsis ex eo refocillari permittebat: ob virium ergo refectionem magis concedi, quàm denegari expedit: debet autem imbecillum, non meracum esse, vt etiam supra probauimus, tum quia & minus calfacit, & facilius quàm meracum coquitur, ac distribuitur.

Quòd autem hæc ab eximij Senis placitis haud recedant, probatur: ipse enim in. lib. de affectionibus tex. xi. de febris ardentis cura agens hæc inter alia subiungit, *potiones quoque ac sorbitiones dandæ sunt frequenter, & paulatim quam frigidissimæ*, in 2. etiam libro de morbis tex. 6: de eiusdem febris ardentis curatione sermonem faciens hæc scribit, *& ptisanæ succum sorbeat bis in die, si verò debilis fuerit ter, & vinum album aquosum insuper bibat*, &c. vbi differentia curationis notanda est: in libro namque de affectionibus virium supponens constantiam, vini quidem haud meminit: in hoc vero loco virium pertimescens debilitatem, illud proponit: hanc ergo & nos huiusmodi Præceptoris regulam in harum febrium curatione obseruare tenemur.

Notandum autem est id in prædicti membri titulo additum, quòd scilicet hæc locum habent quando aliqua capitis affectio non adest, hoc est quando capitis dolor grauis, vel delirium non vexant, vel futura haud expectantur; nam his præsentibus seu futuris vinum exhibitum caput iam à symptomate debile ac benè dispositum facilè petit, ibique humores, qui iam in motu fuerant, magis exagitat ac commouet, præcipitesque reddit, ex quo & dolor capitis augeri, & obstructio in cerebro magna causari, & à paraphrenitide phrenitis excitari facilè potest: & propterea Hippocrates ad hoc respiciens in libro de affectionibus textu 2. etiam in capitis dolore à pituita vinum his verbis vetat; *victus autem sit sorbitio, & potus aqua; vinum autem non exhibeatur donec dolor sedetur; quum enim calidum existens caput vinum attraxerit, dolor fortior euadit.* si ergo in casu doloris à materia proueuientis frigida, multò magis in dolore, qui in febribus acutis à causa calida vt plurimùm procedit, vinum prohibere intendit; in eodem libro tex. x. habet, *vinum autem non conuenit mente motis, neque in hoc morbo, neque in quibusuis alijs*; idem in 3. de ratione vict. in acut. tex. 7. docet; itaque & si vires debiles sint; nihilominus si dolor capi-

In capitis dolore, vel delirio à vino abstinendum.

cis, vel delirium, aut alia grauis cerebri affectio adsit, seu futura sit, ne vires ex horum symptomatum incremento magis debilitentur, expedit ab eo quidem abstinere, alijsque alimentis optimi succi, vt est prisana, restaurum caponis, aqua carnis, & similia, ingenium adhibendum vt vires refocilentur.

MEMBRVM QVARTVM.

Diuturnis febribus correptis vinum haud inutile.

HOc sic asserimus; quia ratio & auctoritas ita suadent: ratio sic; febres longæ à causa frigida ortum ducunt: hoc Auicenna in prima tertij lib. tract. 2. cap. 38. testatur, dum ait, *ægritudo cuius tempus prolongatum est frigida est secundum omnem dispositionem, & indiget resolutione*, &c. ergo huiusmodi febres alimentis calidis opus habent: nam ex Galeno xi. Meth. Med. cap. 5. qualitas alimenti tum affectui præter naturam tum etiam causæ debet esse contraria: sed vinum est calidum, ac proinde causæ harum febrium immediatæ aduersum; ergo tale hisce febribus est satis conueniens.

Auctoritas est Hippocratis in prima sect. aph. 4. vbi asserit, quod victus tenuis atque exquisitus in morbis longis est periculosus: diuturnis itaque febribus detentos, non tenui victu, hoc est ptisanæ succo, aqua hordei, melicrato, & similibus, verum mediocri, scilicet panatella, ouorum vitellis, vino ipso, alijsque huiusmodi oportet reuera victitare. vinum ergo his febribus opportunum existit.

Sed quemadmodum clarum & certum est vinum diuturnis febribus congruum esse: (in hoc ferè omnes sine dissidio conueniunt) sic difficultas est, quodnam debeat esse vinum, meracum ne an imbecillum; aliqui meracum à principio semper exhibent; quia hoc est calidum, & siccum, vnde harum febrium causæ, quæ frigida & humida vt plurimum est, magis aduersatur.

Meracum febribus diuturnis conuenit.

Nos hanc medendi regulam suspectam profectò habemus, vt patebit; quare initio imbecillum, progressu verò temporis, coctionis signis præsentibus, meracum propinandum, existimamus; hoc quidem a Galeni doctrinæ fonte exhaurimus, sicq; probamus.

Noxiũ meracũ in principio diuturnarum febrium.

In febribus diuturnis magnæ extant obstructiones, talesque nisi humorum multitudine minorata curare haud licet, vt Galenus in xi. Meth. Med. cap. x. animaduertit, cuius verba sunt hæc: *ostensum enim est si ijs auxilijs quæ obstructiones eximant, vti, non euacuata prius abundantia, velimus, fore vt non modò nihil proficiamus, sed etiam*

etiam affectum maiorem reddamus, &c. vinum autem meracum est illud quod inter alia maximè obstructiones curat, quod etiam aduersæ sententiæ viri minimè negant, ergo non inter initia, quo tempore obstructiones vigent, corpusque vniuersum plenum est, sed temporis progressu abundantia depleta eo ipso vtendum.

Pręterea vinum meracum summoperè corpus rarefacit; quia cum valde calidum & siccum sit, humores attenuat, subtiliat, reseratque meatus; sed regulariter agendo corpus rarefacere non oportet, nisi signa appareant concoctionis, ne humores fundentur, ac pręcipites in aliquam cadant partem, vt Galenus in 11.Met. Med.cap.9.præcipit, vbi de putridarum febrium in genere cratione agens, hęc subdit verba, *itaque etiam tunc maximè cum fiducia eos vel in Balneo lauamus, vel ijs quæ habitum rarefaciunt, medicamentis vtimur, vel vinum bibendum damus, cum notas humorum concoctionis cernimus*, itaque ne intempestiuè corpus rarefiat, signa concoctionis expectanda sunt, tuncque tutum est meracum exhibere.

Accedit quòd licet causa harum febrium immediata per se frigidà sit, per accidens tamen calore putredinali recepto calida euadit, hocque intensius ac efficacius in pituita fit, hęc enim difficulter calorem recipit, sed tamen fortior diuturno tempore in ea conseruatur, hoc huius humoris nomen confirmat, pituita namque gręcè dicitur φλέγμα a φλέγω hoc est ab vso, teste Henrico Stephano tom.3. quasi quòd calor in tali humore conceptus sit perurens & inflammatiuus: Ad hæc addimus quòd in tam humorum abundantia aliquod materiæ calidæ subdominium haud deest, quapropter si inter initia, quo tempore & calor magnus est, & putredo adhuc incorrecta nondumq. victa existit, exhibeatur, & ille putredinalis calor augeri, & humores commoueri, fundi, ac in aliquod princeps membrum illabi facilè valent. Vidi Iuuenem quartana laborantem, qui cum ab initio absque nostro Consilio meracum ebibisset, in melancholicum tandem delirium incidit. quapropter oportet expectare vt signa appareat concoctionis, corpusque ex parte prius euacuare, ac ab humorum noxiorum multitudine, atque sarcina naturam simul leuare; tunc enim tempestiuum est, vt meracum propinetur, interim imbecillo opus est vt vtamur, quod cuilibet indigentiæ exacte satisfacit, nutrit namque & hoc, spiritus, caloremque nativum fouet, ac vires diù quidem fulcit, atque eius caliditas cum leuis sit (in materiam præcipuè agens frigidam) non est periculum, vt aliquid mali ex ipsius vsu contingat, itaque imbecillum ante humorum concoctionem, inde vero meracum hisce febribus est maximè conueniens.

Historia.

MEM-

MEMBRVM QVINTVM.

Tertianis continuis vinum etiam imbecillum offensiuum.

CORpora de huiusmodi febribus conquerentia sunt valde calida, ergo vinum etiam imbecillum noxium est; nam cum caliditate manifesta haud careat, (vt iam demonstratum est) ipsorum calorem magis adauget, ac proinde lędit; confirmatur, Galenus 5. de tuenda valetudine cap. vltimo ait quòd in temperamento calidissimo vinũ circumcidere prodest: si ergo in tali corpore intra sanitatis latitudinem existente vinum vetare proficuum existimat, multò magis morbosa caliditate eodem affecto ab eodem quidem abstinere vtilissimũ existimare debet. Hippocrates in 1. sect. aph. 16. hoc protulit præceptũ, *victus humidus febricitãtibus omnibus cõfert* &c. Altimarus libro de medendis febribus parte prima capite 5. asserit Hippocratem per humidum absque dubio etiam frigidum intelligere, vinum autem quomodocumque imbecillum sit, absolutè frigidum non est, sed aliquam (& si leuem) habet caliditatem: ergo tum omnibus tum maximè his febribus inconueniens est. adhuc confirmatur, Galenus in 10. Met. Med. cap. 5. ait, qualitatem alimenti debere esse affectui præternaturam contrariam, & propterea in 1. de ratione victus tex. 18. asserit, quòd ptisana est febri maximè idoneum alimentum: Quia febris est flamma seu ignis, ac proinde intemperies calida & sicca; ptisana autem tanquam frigida & humida è directo ipsi febri aduersatur, vinum autem imbecillum febri minimè est contrarium: quoniam, vt assertum est, aliquam, qualiscumque ea sit, possidet caliditatem, ab hisce propterea febribus excludendum est.

Immeritò ergo tot dotes, ac præconia aduersarij huic tribuunt vino, scilicet quòd nihil eodem vino pro hisce febribus efficacius exi stit, quia est potio suauis, sitim, ac bilis asperitatem demulcet, non stagnat, nutrit, aperitque obstructiones; indecentes, inquimus, has esse exaltationes: quoniam dato etiam hasce afferre posse vtilitates, adhuc tamen suspectum est, quia calidiusculum existit, præterquam quod vinum non modò sitim haud demulcet, sed potius aggerat, auctore Galeno lib. primo de simpl. med. facultate cap. 2. vbi de vino in genere loquens hęc subdit, *aparet enim a vino homini semper sitim increscere* &c. reperienda ergo alia alimenta qualibet suspicione carentia, talis quidem imprimis ptisana est, quæ teste Hippocrate & Galeno in illo 1. de rat. vict. citato est iucunda, continua, nutritiua, refrigerans ac humectans, sitim auferens, lubricatiua, detersoria, bilis acrimoniam infringens, ipsamque euacuans bilem, nec quic-

Ptisana vino melior in febribus.

piam turbat, ideo Galenus in eo commento cæteris alimentis pro acutarum febrium regimine prę ferendam asseuerat. est prętereà aqua Carnis, quam Auicennas lib. 1. Fen. 2. doctr. 2. cap. 12. in subtilis ac multi nutrimenti alimentorum serie enumerat, cum ergo alia securiora pro hiſce febribus reperiantur alimenta, ea quidem eligenda, vinumq; tanquam minùs tutum omittendum est.

MEMBRVM SEXTVM.

Febribus Tertianis intermitentibus tum in paroxysmi, tum etiam intermissionis die, ante perfectam humorum concoctionem, Vinum semper est maleficum.

PRima membri pars sic probatur, in hiſce febribus bilis maximè prædominatur, dieque paroxysmi est in motu ac facilè à quacumque re etiam parùm calida ac vaporoſa exagitari, ac magis moueri potest: propterea haud offerenda ea, quæ & in hunc humorem vertis & ipsum magis agitare possunt, vinum autem etiam imbecillum, cum calidas habeat partes, bilis naturæ similes, & in bilem transmutari, & ipsam magis mouere valet: ergo ab ipso abstinere licet, aquaque aliqua stilatitia refrigerantis naturæ tanquam e directo febri contraria, est potius exhibenda.

Secunda ipsius membri pars tali pacto protegitur: in die intermissionis vel phlebotomatur, vel aluus purgatur, vel aliquid aliud molitur non ratione causæ coniunctæ, quia iam febre declinata ipsa soluta ac consumpta est, sed ratione causæ antecedentis: quare etiã ratione eiusdem antecedentis causæ vinum dereliquendum, ne ab ipsius vsu & augeatur, & intempestiuè moueatur, hinc experientia constat multos perperam vinum epotos ab intermittenti, ac simplici in duplicem ac continuam incidisse febrem, addimus quòd in phlebotomia ex Auicenna 1.4.tract.1. humores maximè commouentur, in aluique eductione idem contingit, hinc sitis, oris amarities, & aliquando inquietudo ea die accidunt; quapropter ea dimittenda, quæ humores magis mobiles reddere, ac sitim augere valent, tale est vinum etiam imbecillum, quia cum calidiusculum ac penetratiuum sit, trahit secum humores tam benè dispositos, ac ipsos accendit, atque in diuersis fundit locis: Galenus enim libro de causis morborum capite 2. ait, quòd dispositio subiecti est causa febrem accendi, etiã si causa efficiens debilis sit, in die ergo intermissionis vinum nociuũ est.

Confirmatur vtraque huius membri pars. talium corpora febricitantium impura existunt, non oportet autem vino, quòd ex Galeno 1. de tuenda valetudine capite 11. nutrit, talia alere corpora, quia

au-

auctore Hippocrate 2. sect. aph. 10. *non pura corpora quantò plus nutries, tantò magis lades*, cum itaque vinum sit ex ijs, quæ efficaciter alunt, vt iam probatum est, ne natura ob huiusmodi alimenti exhibitionem à suo distrahatur officio, nullo modo in hisce febribus eo ipso vtendum est.

Tempus propterea humorum concoctione peracta vini exhibendi congruum existit, hoc testantur Galenus 1. ad Glauconem cap. 9. Paulus Aegineta librò 2. de re Medica cap. 20. Aetius tetr. 2. serm. 1. cap. 80. Oribasius lib. 6. synops. cap. 9. alijque Medicinæ auctores, Auicenna præcipuè in 1. 4. tract. 2. cap. 38. in cura tertianę hęc habet, *& non timeas post declinationem potare eos vinum*, & paulò infra sub dit, *confert quantitati eius residui in resoluendo illud cuius necessaria est resolutio*, &c. ex his Arabum Principis verbis duo habemus, tempus scilicet vino vtendi opportunum, quod est post febris vniuersalem declinationem, & causam propter quam tunc solùmmodo vino ipso oportet vti, nempe vt cineritia post febrem relicta efficaci vini ope resoluantur; Celsus quoque lib. 3. cap. 14. pro ipsius febris curatione talia scribit, *nec vinum nisi post accessionem die 7. bibat*; intendit enim ob febris breuitatem tunc humores maturos, ac purgatos esse; idcirco eo duntaxat die illud admittit, nullum igitur aliud tempus pro vini exhibitione in tali febre est magis salubre & opportunum.

Responsa ac obiecta circa prædictum membrum.

AQua quoque ipsa bilescit, ergo etiam si vinum bilescat, melius est tamen vt hoc, quam illa tertianis exhibeatur; nam vt Alexander Trallianus consulit, quodlibet medicamentum & si ex sui natura saluberrimum sit, aliquid tamen nocui habet: quarè perpendendum an beneficia ipsius nocumentis ab eo emergentibus maiora sint, vel nocumenta ipsis pręualeant beneficijs, si primum, amplecti, si verò secundum sit, illud reijcere vnusquisque tenetur: modò vini vtilitates maiores, quàm damna existunt; nam etiam si bilescat (quod tamen non accidit, cum frigidum & humidum absolutè sit) maximè tamen nutrit, non stagnat, aperit obstructiones, vrinam, sudoremque, prouocat, ac alia elargitur beneficia, aquæ autem bona proculdubio minora quàm nocumenta sunt: nam et si refrigeret & humectet, stagnans nihilominus bilescit, minimè nutrit, fluctuationem, cruditates, viscerum tumefactionem, pleraque alia detrimenta parit, fusè ab Hippocrate 3. de rat. vict. tex. 40. proposita, quapropter in tertianis expedit vino imbecillo magis quam aqua vti. Hippocratis quoque aphorismus citatus vinum in tertianis haud interdicit: nam duplex est eius verborum sensus; primus quòd im-

Vinũ aquæ tertianis vtilius.

puritas vna vniuerſalis eſt, altera particularis : modò per ea verba impuritatem vniuerſalem, minimè particularem intelligit: nam verum eſt, quòd quando totum corpus eſt impurum, alimentum lædere, minimè quando pars aliqua particularis; idcirco ob vnius noxam non oportet deſiſtere reliquum alere corpus, in tertianis autem impuritas eſt particularis, ideo non impedit optimo alimento vti eſt vinum, totum nutriri corpus. alter ſenſus eſt, quòd cibaria alia liquida, alia verò ſolida ſunt: modò in prædicto aphor. ſolida tanquã concoctu difficilia, ac proinde impuritatem augentia damnantur, nequaquam liquida, vt eſt vinum optimi ſucci, minimè excrementoſum, celeris faciliſque coctionis exiſtens, tale ergo haud lædit, ac per conſequens ſub illius aphoriſmi vigore nullo pacto comprehenditur.

Tandem Galenus non vinum imbecillum ante humorum concoctionem prohibet, ſed meracum tanquam valde calidum, imbecillum enim quod frigidum eſt & hnmidum, etiam ante humorum maturationem innoxiè in vſu reuera poteſt eſſe, ac per conſequens doloſa duntaxat proteruitate vinum adeò beneficum inculpatur.

Iam aſſerta confutantur.

MEra quidem iſta horum virorum dicta ſophiſmata exiſtere, Criticorum quislibet iudicet. derelinquimus nunc repetere, vinum portiones calidas poſſidere, ac proinde bileſcere poſſe, in ſola duntaxat inſiſtimus experientia, equidem quotidiè cernimus laborantes non modò tertiana exquiſita verùm etiam ſpuria hauſtũ vinum etiam imbecillum amarum in ore experiri, ipſumq; os paulò poſt amarulentius euadere, multi quoque ęgrotantes niſi huius prætermiſerint vſum intempeſtiuè conceſſum, à febris diuturnitate haud immunes euaſerunt; alij etiam vino perperam ebibito, ab intermittente in continuam inciderunt febrem, ac alij (quibus nos vinum vetauimus) eo clàm hauſto vbi iam ſanæ mentis mente ipſa tandem commoti fuere, talia autem non ab alio fonte, niſi a vini in bilem tranſmutatione, biliſque ipſius à vino effecta agitatione, profectò ſcaturiunt.

Hiſtoria.

Nec valet dicere, quòd hęc rarò præterquam rationem contingunt; Oraculum autem Hippocratis in 2. ſect. aph. 27. extat, ***his qui non ex ratione leuius ſe habent, non oportet fidere, nec multum formidare mala, quæ pręter rationem eueniunt***, &c.

Obiectio.

Non ualet, inquimus, quoniam ſæpe non ſineque ratione iam indicata nocumenta accidere ſolent, uerùm rarò, irrationabiliterq; contingentia iis uidentur, qui ſumma animi pertinacia enixi ſunt

Reſponſio.

nouam

nouam protegere ſententiam, quibuſque oſcitanter atque properè ægrotantes uiſunt, nec quid ab aſſumptis illis ſuperuenerit, meditari ſtudent: at ſi febris ut plurimùm diuturnitatem, bilis ebullitionem, ſitis incrementum, dolorem capitis, ſeu ipſiuſmet grauitatem, aliorumq; ſymptomatum direptiones ab importuno uini uſu proueniẽtes, contemplati eſſent, non rarò, irrationabiliterq; contingentia ipſis talia uiderentur damna, nec in ipſius uini exhibitione ſic liberales eſſent, & ſanè horum malorum ratio ſatis conſpicua eſt; quamuis uini imbecilli leuis ſit caliditas, nihilominus quia corpus Tertianarij iam ualde calidum eſt, propterea ab uſu uini facilè ille calor augetur ipſoq; aucto enarrata iam mala citò ſuperueniunt: Galenus libro de cauſis morborum cap. 2. ait quòd quando corpus iam calidum eſt, paratius eſt ad exceſſum caloris ſuſcipiendum, in eodem capite addit, quòd diſpoſitio ſubiecti cauſa eſt, febrem accendi, etiam ſi cauſa efficiens læuis ſit; haud mirum ergo ſi à læui imbecilli uini caliditate in tertianarij corpore tam benè parato ac diſpoſito ad maiorem calorem ſuſcipiendum, fomes increſcat febrilis, cur itaque & à quo nã indicata iam damna eueniant, haud obſcurum eſt.

A quo ſuperflua vini exhibitio procedit.

Nunc ad propoſitum redeamus; cum itaque vinum imbecillum adeò damnoſum ſit, opus eſt, vt aqua potius eligatur; aqua autem non cruda ac naturalis; quia hæc quidem noxia eſt, & de hac Hippocrates loco illo citato, fermocinatur, atque mala ibidem recenſita huiuſmodi aquæ proprij ſunt effectus, ſed aqua hordei, vel refrigerantium herbarum aquæ deſtillatæ, quas Hippocrates paſſim in morbis commendat, in vſu debent eſſe; tales enim aquæ à iam propoſitis peccatis immunes ſunt, nam refrigerant, humectant, detergunt, aluum, vel vrinam, ſeu ſudorem prouocant: facultati autem alimentali, qua ipſæ carent, vinumque abundat, ptiſanæ cremore, aqua carnis, vel alio ſimili (ſuſpecto vini alimento omiſſo) exactè ſupplere poſſumus. vinum igitur vt noeuum reijciendum, aqua verò vt benefica pro febris eradicatione, retinenda eſt.

A qua vtilior febrib. & qua.

Quod autem ad reſponſionem in Hippocratis aphoriſ. citato, Galenique loco indicato pertinet, aſſerimus quòd mens Hippocratis in eo aphoriſmo eſt præcipere corpora impura haud alenda, ne natura relicta aduerſus morbum pugna, cibum amplectatur, morbuſque ipſe interim inualeſcat: quare etiam in particulari impuritate, alimento exhibito, natura à morboſæ illius impuritatis elaboratione, ac conſumptione facile diuertitur, atque tunc corpus maximam recipit noxam: ſic etiam quamuis vinum cibarium fluidum ſit; nihilominus cum eidem naturæ gratum ac familiare ſit, potius ad illius, quam ad humorum concoctionem conuertitur, ſicque à ſuo diſtracta officio corpus maximè, læditur: corporaergo

ter-

ATENEU VENEZIA

tertiana complicata si quis nutriat, dum impura sunt, vino præcipuè exhibito, summoperè quidem lædet.

Galenus quoque non meracum solum, sed vniuersaliter quodlibet vinum ante humorum concoctionem vetat: verba eius adeò clara sunt, vt nemo decipi possit; quæ talia sunt: *à vino verò antequam morbus concoquatur, omninò abstinendum; vbi concoqui cœperit dandum est ab initio tenue aquosum*, &c. vbi duo notanda sunt, primò verbum *omninò* per quod vinum generaliter quodlibet prohibet; secundò quòd post maturationem aquosum laudat: si ergo ante concoctionem meracum duntaxat vexaret, non diceret vbi morbus concoqui cœperit dandum tenue; quia iam à principio morbi ipsum concessit, sed potius asseruisset meracum exhibendum, quod iam veritum fuit, hoc autem minimè fecit, ergo non meracum solùm, sed quodlibet vinum ante humorum maturationem interdicit. præterea Auicennas loco supra citato fidus Galeni sequax non nisi post febris tertianæ declinationem vinum proponit tenue: idem & alij iam citati auctores factitant. valeant ergo isti viri asserentes quolibet tempore imbecillum fidenter esse exhibendum: opinio quidem vt noua in cunctis, sic vana & pernitiosa existit. quare eius tela, quibus veritatem tam ferit, oportet nunc pro viribus repercutere, ac infringere: quapropter sit.

CAPVT NONVM.

Aduersariorum rationes supra in V. capite propositę, quibus probant vinum cunctis febribus tum in communi, tum etiam in particulari maximè conuenire diluuntur.

DEmonstratum iam est, quibus febribus, quo tempore, quaue indigentia vinum vtile, vel pernitiosum existat, nunc tempestiuum est, vt ad fractionem, ac expulsionem rationum, quibus hanc fulciunt opinionem, imbecillæ nostræ orationis telum enixè vertatur, vt iam optata veritas florida, pura, ac sana tandem innotescat.

Fallacia itaque primæ argumentationis, qua probant vinum ratione causæ materialis febris decentissimum esse, nunc audiatur.

Quamquam vinum quodam modo cordiale sit: nihilominus tale cordiale nec cunctis decet febribus, nec semper tutum, nec verum & vnicum cordiale existit.

Quòd huiusmodi cordiale haud omnibus deceat febribus, pro-

batur.

batur; nam iuxta aduersariorum opinionem propria cordialitatis natura est, essentiam cordis deperditam reintegrare, ac refocilare: modò reintegrandi ac refocilandi necessitas non est, nisi in febribus acutis, pestiferis, ac malignis in quibus cor maximè laborat, spiritusque multùm consumuntur, hinc lypothimiæ, syncops, aliaque magni momenti accidentia contingunt, cęterum in febribus benignæ naturæ, brevibus, ac levibus huiusmodi deest indigentia, quia parùm, vel minimam eamque contemptibilem cor perpatitur noxam, atque pauciſſima, vel nulla spirituum pars consumitur; nam valida cordis facultas calorem illum præternaturalem cum boni sit moris, planè contemnit: quapropter huiuscemodi febribus vinum vt cordiale superfluum est: quare excludendum, quia ex Aristotele frustra fit per plura, quod æquè & benè per pauciora fieri potest.

Vinum vt cordiale hæ ud cunctis conuenit febribus.

Sic hoc cordiale haud semper tutum est: quia cor magis calefaciendo, in eodem maiorem intemperiem, variasque læsiones introducit; humores item fundit, solida exsiccat, ac cętera sæpius repetita mala causare aptum est.

Vinum vt cordiale nõ tutum semper.

Sic quoque nec verum & vnicum cordiale existit; nam veræ cordialitatis natura est non modò spiritus & cor refocilare, ac robora-re, sed etiam venenatas materias ab eodem repellere corde, ac extra detrudere corpus: vinum autem primæ cordialitatis conditioni, minimè secundæ satisfacere valet: nam vel in multa, vel in modica exhibetur mensura, non in multa, quia esset ægrotanti potius ardorem magnum, phrenitidem, hepatis inflammationem, vel alium magnum morbum causare; si in modica, nihil proficere potest, quia talis dumtaxat calfacit, in bilem vertitur, nec vrinam vel sudorem, seu aluum vbertim prouocare, ita vt venenatæ materiæ expurgentur, haud sufficiens quidem existit; etenim nullam habemus historiam aliquem vino solo ebibito in venenatis morbis, pernitiosisque animalium ictibus mortem fugitasse: modò dantur compositiones Magistrales, quæ vtramque cordialitatis conditionem possident. hæ autem tum in morbis pestiferis, tum etiam in venenato morsu summopere valent; præstantissima est compositio illa ex caponis pulpa additis auro, argento, margaritis, corrallis, lapide Bezoar, cornu Cerui, & similibus confecta: talis enim in exigua quantitate sumpta, maximè nutrit, consumptos iam spiritus regenerat, ac venenatam qualitatem extra corpus eliminat. Celebris etiam est historia illa ab Atheneo relata de duobus reis, quorum vnus, qui citrum esitasse inspectus est, à venenato Aspidis morsu nullam recepit noxam, alter vero, cui citrum ipsum edere negatum fuit, ab immani ipsius Aspidis illato ictu, undique liuidus fa-

Vinum vt cordiale nõ est.

&us confestim interijt. extat quoque nobilis illa Mithridatica confectio, ob cuius diuturnum usum à læthiferi ueneni noxa magnus ille Rex preseruatus est. Sic multa alia simplicia haud desunt, ut smeragdum, Vnicornu, os cordis Ceruini, terra Samia, (quam in 9. de simpl. Med. facultate Galenus adeo celebrat) bolus armenus, scordium, contraherua, & similia ferè infinita, quæ licet cordi per accidens opitulentur; uerè tamen cordialia sunt, & magis cardialia quam uinum ipsum; nam præcipua ac uera cordialitatis natura non est, ut aduersarij dicunt, spiritus reficere, ac consumptam cordis substantiam reintegrare; quia etiam panatella, cremor ptisanæ, odores, & cuncta alimenta celeris ac facilis coctionis id cum præstent, cordialia uocarentur, quod tamen uerum non est; quare uera cordialitatis natura est cor roborare, ut fortiùs & facilius aduersus uenenum agat, atque ipsum uenenum simul infringere, à corde illud remouere, ac extra corpus detrudere: hac autem prædicta cordialia, non uinum prædita sunt; hinc Auicennas Libro de uiribus cordis tot enumerans cordialia, nullam uini facitat mentionem; uinum ergo uel nihil, uel minù, cęteris enumeratis existit cordiale.

Dantur alia vera cordialia.

Quæ sit vera cordialitatis natura.

Accedit quod enarrata cordialia præter manifestam qualitatem, qua cordi succurrunt, occulta etiam proprietate ac uirtute ad eundem opitulandum sunt insignita, qua profectò uinum caret: quam quidem proprietatem nobis ignotam haud spernere licet: nam minimè fabulosum esse, quarundam rerum proprietates occultas dari, ipsa quidem edocet experientia: siquidem obseruamus insensibile, ac innanimatum Electrum uim paleam trahendi possidere, Nemoram uelocissimum nauis cursum sistere, Torpedinem stupore piscatoris manum inficere, furorem Leonis indomitum ignis aspectu compesci, effrænatum ac citissimum Tauri Syluestris motum ob mori præsentiam declinari, rosam, quæ odoris naturæ suauissimi, flos omnium florum decus, ac præcipua humani corporis Medicina existit, quibusdam familijs adeo infestam esse, ut animi deliquium quinimo mortem ipsam inferat, ueratrum atque cicutam lethale hominibus uenenum, coturnicibus uerò ac sturnis uerum existere alimentum, Struthionem aurum concoquere, quod tamen etiam ab ignis calore haud patitur, rutæ ac brassicæ magnum esse dissensum, ut iuxta seri nequaquam patiantur, coloquintidem herbas sibi proximas ad instar ueneni occidere, Leporem marinum pulmones, cantharides uesicam, alijs uisceribus minimè læhs, dumtaxat exulcerare. quosdam uiros ob felis aspectum in timorem, ac periculosam lyporhimiam incidere, pleraque alia in rerum natura dari, ac quotidie heri, quorum sane rationem

Vera cordialia occulta pollent virtute quæ vino haud conceditur.

Proprietates occultas haud negandæ.

nullam

nullam reddere valemus, quia ex Aristotele vltimæ rerum differentiæ sunt nobis ignotæ; hinc iurè merito sapiens ille aiebat, hoc tantum scio, quòd nihil scio, & Theophrastus lib.7.Metaph.cap.5. prę-clarè scripsit, quòd qui de omnibus rationem quærit, simul cum ratione scientiam tollit: si hæc ergo vera(vt reipsa verissima)sunt,haud mirum si etiam proposita iam cordialia pręter illam manifestam qualitatem, refrigerandi scilicet cor, illustrandi, constringendi, ac roborandi, alia quoque sed altiori, nobiliori, ac occulta polleant virtute, nempe venenatam ac latentem febrium quarundam naturam corrumpere, oppugnare, ac extra corpus reijcere, perindeque cor roborare, ac validare ad morbum facile superandum atque vincendum. Hę profectò propriæ cordialium sunt prærogatiuæ, quas vinum obtinere, haud concessum est. ex quibus patet, quòd etiam alia cordialia magis efficacia ac vtilia quàm vinum reperiuntur,qua propter vinum nec planè verum nec vnicũ cordiale existit. Quòd ad reliqua in argumentatione proposita,spectat,asserimus quòd vinum humores quidem coquit si frigidi soli sint, at si calidi existant,potius turbat, agitat, ac magis calefacit, hinc fit vt calori natiuo non auxilium, sed potius detrimentum inferatur, sic etiam non modò putredini haud resistit, sed ipsam potius auget; nam vinum vel est meracum, vel imbecillum, si meracum, sua caliditate atque siccitate secum, vel imbecillum, si meracum, sua caliditate atque siccitate secum brem adauget,ipsaque aucta,& putredo per sanos humores serpendo magis crescit, aliaque succedunt mala: si verò imbecillum sit, cum natura tale humidum sit, putredinem multiplicat: nam humiditas ex Aristotelis & Galeni consensu putredinis mater existit; & enim huiusmodi vini humiditas haud corpori connaturalis est,sed vti reliquæ humiditates externæ extraneæ quoq; & hęc existit; vnde quemadmodum illę, sic & hęc à calore pręternaturam facile putrefieri possunt.

Ad locum ex Hippocrate asserimus, quòd ibidẽ Magister hic non de anxietudine,horrore, & oscitatione ex putridis humoribus prouenientibus sermocinatur; nam talia symptomata uel à causa frigida, uel calida, cum, uel citra febrem proueniunt; Hippocrates autem de his loquitur quatenus à causa frigida absq; febre oriri solent, & propterea remedium calidum, ut est meracum uinum non nihil cum aqua temperatum, pro corum curatione proponit, & quòd hoc uerum sit, Galeni eo in loco interpretatio satis comprobat. nam ibidẽ asserit quòd anxietudo fit ab humiditate tunicis uentriculi imbibita, per humiditatem intelligit profectò humorem frigidum, & propterea Hercules Saxonia in secunda parte practicę cap. 6. alijque auctores anxietudinem dicunt esse dolorem grauatiuum cum corporis hùc atque illùc agitatione ab humore frigido tunicis uentriculi imbibito

bibito prouenientem; ex quo patet hoc ſymptoma à materia frigida ortum habere: ſic etiam ait, quòd oſcitatio fit ab humiditate flatuoſa in muſculis, per quos uoluntarij quoque fiunt motus, contenta; horror uerò a prauis humoribus percutem currentibus accidit, per prauos autem humores non calidos ſiue putridos intendit, quia id expreſsè ſignificaret, ſed potius de frigidis atq; excrementitijs (ex quibus alia duo ſymptomata oriri iam dixit) reuera loquitur; humores enim pituitoſi excrementitij, à capite delapſi, ac per cutem diſperſi rigorem excitant, ut ex Galeno ipſo lib. 2. de ſymptomatum cauſis cap. 5. colligitur, hoc in praxi ſæpè obſeruauimus; hyeme præcipuè elapſa ægrum catharro laborantem habuimus, qui tota die abſque ullo febris ſigno horrore torquebatur; certum ergo eſt, Galenum per prauos humores frigidos intelligere excrementitios, quos omnes, ait, quòd uinum partim corrigere, partim præparare, diſponere, ac optimos reddere, hoc eſt aptos facere, ut facilius euacuentur, paratum eſt; hæc eſt ſyncera Galeni expoſitio, ubi patet quòd nec calidorum humorum, nec putredinis, nec febris mentionem facit, quapropter conſpicuum eſt, Hippocratis in illo aphoriſmo mentem eſſe, uinum ea ſymptomata ut à cauſa frigida citra febrem prouenientia, ſoluere poſſe, ac proinde talis auctoritas minimè officere ualet.

Reſpondetur ſecundò quòd propter anxietudinem aliaque ſymptomata uentriculus ualde debilitatur, uireſque totius ſummoperè languent, quarè ne ſyncope contingat, uinum allaudat, ut ſcilicet eius ope uires deiectę reſtocilentur, itaque non ratione febris ac putredinis, ſed ratione uirium urgentiæ uinum proponit; hoc autem aduerſus noſtrum propoſitum minimè pugnat, nos quoque enim in horum ſymptomatum caſu ad pręſentes uires tuendas, ac deperditas reſtaurandas, ab huiuſcemodi liquore haud abſtemij ſumus.

Sic tandem nec ſolidis partibus uinum proficere ualet; nam quodcumque uinum illud ſit, febri quidem ac putredini, ut ex dictis patet, propabulo inſeruit, iiſdemq; ab ipſius uſu auctis, ſolida quoq; haud paucam ſuſcipiunt læſionem, ut neminem latet; cum itaq. tot uinum periculis plenum ſit, nullo modo febribus ratione cauſę materialis beneficum poteſt eſſe.

Vinum malum ratione febrilis formæ.

Secũda etiam argumentatio, qua probant ratione cauſę formalis uinum febribus conuenire, à primę argumentationis falſitate, ut à uera Genitrice minimè degenerat, & enim ille calor morboſus, quem febris formam conſtituunt, eſt flamma ſeu ignis auctore Galeno 1. de ratione uictus textu 18. iam etiam citato; huius autem extinctio ac ſuffocatio niſi à re ſummè frigida ac humida cauſari nequit, cuius rei rationem Galenus ipſe in 8. Met. Med. cap. 1. talem affert; omnis

ex-

excessus per contrarium excessum sanatur, febrilis intemperantia, est excessus in abundantia caloris positus; ergo per contrarium excessum debet curari, talis autem excessus est id quòd in excessu refrigeret, atque humectet; sed vinum etiam imbecillum in excessu frigidum ac humidum non est, non valet ergo huiusmodi curare excessum, ac proinde ratione febris formę vinum inutile existit.

Ob subiectum quoque, in quo ipse calor morbosus situatus est, vinum haud vtile, quia tale calidum, amarum, seu salsum contingit esse, vt Hippocrates in illo de Veteri Medicina textu 30. subdit, vnde sua caliditate illud potius maius, quàm minus redderet; hęc Galenus respiciens in 7. Meth. Med. cap. 6. pręcipit, quòd vinum ad corporum refectionem atque humectationem maximam habet vim, modò non febricitent, hinc Ioannes Arculanus explicans Auicennę verba in 1. 4. tract. 2. cap. 7. *& apud declinationem & apparitionem signorum digestionis, & euacuationem humorum, non est malum, vt administretur balneum, & potus vini subtilis commisti* in eã deuenit opinionem, quòd ante huiusmodi tempus, ab auctore hoc indicatum, vinum etiam in quotidiana, & quartana ratione *febris* semper inconueniens esse; & Alexander Trallianus lib. 12. sub cap. 12. ait, *vinum dare febris quidem causa non oportet* &c. ex quibus patet quòd quãdo Galenus in illo de causis morborum cap. 2. ait, immodicas calidas potiones, vt vini veteris acris, febrem accendere, de sanis corporibus profecto loquitur, in quibus adhoc vt febris apprehendat, fortes requiruntur causę; in ijs autem qui actu febricitant, quęlibet causa etiã leuissima, vt est vinum imbecillum, febrem augere, magisque accendere valde sufficiens est: actus enim actiuorum ex Aristotele 2. de anima textu 26. fiunt in patiente benè disposito, modò vinum imbecillum in corpore sano haud rectè disposito etiam liberaliter hausum febrem minimè accendit, at in febricitante, quod benè paratum est, id facilè præstare sufficit, ac per consequens tum hoc vinum, tum etiam quodlibet aliud *febribus ratione causæ formalis* periculosum quidem est.

Vinum ratione causæ efficientis prauum.

Tertia quoque argumentatio, qua demonstrant vinum febribus causę efficientis ratione saluberrimum esse, legitimus indicatæ, iam fallaciæ partus reuera existit; omittimus nunc disputare non illam immaginariam maguam materierum confusionem causam febrium efficientem esse, ad id tantum quod nostrum exigit institutum, incumbimus; quęcumque igitur illa sit, ratione ipsius febri quidem nocens imbecillum, nocentius meracum est; quoniam licet *ex vna* parte elapsas naturæ vires reintegrare valeat, ex altera tamen ipsarum diminutionis promptissima est causa; quia quodcumq; illud vinum sit, sua caliditate febrem sanè nutrit, ac facultate alimentali ad sui con-

concoctionem naturam trahit, vnde incrementum corruptelę absq; dubio contingit, ex qua natura ipsa grauata nec coquenda coquit, nec expellenda expellit, nec cętera sua perficit munia: quarè primæ propositæ indicationi vinum haud satisfacit.

Sic nec cęteris indicationibus satisfacere valet; quia imbecillum & si ex vna humectet, ex alia tamen parte calfacit, in corporeque febricitanti adusto ac bilioso sitim aggerat ex Galeno lib. 1. de simpl. med. facultate c. 2. atque in bilem ipsam facilè vertitur, vt iam confirmatum est, meracum verò nimis exsiccando & calfaciendo humores frigidos, potius nocet, quia eos fundit, mouet, ac præcipitat, ex quo obstructiones augentur, aliaque recensita damna sequuntur, hinc quamuis utrumq; sudorem uel urinam prouocare ualeat; si id tamen ante humorum concoctionem & euacuationem fiat, nocumentum, non utilitatem patiens consequetur, ut ex Auicenna 1. 4. tract. 2. cap. 7. colligitur; nam ex ea intempestiua per urinam seu sudorem euacuatione nouæ gignuntur obstructiones, cum humoribus commotis, in partibus affectis plenitudo magis impingatur, ex usu enim uini (sicuti cuiuscumque sudorifici ac diurethici, extra oportunum tempus exhibiti) pars quidem materię noxię euacuatur, ac maior intus in corpore pars remanens (cum totam diurethicum seu sudorificum resoluere ac euacuare inæptum sit) à diurethici ipsius, seu sudorifici uigore exagitata solùm, sed planè haud depleta, ad partes fluit affectas, ibique stabulat, ibique pertinaciter inhęret: hinc morbi longiores, ac pertinaciores redduntur, hinc cachexiæ, & hecticæ contingũt, hinc ægrorum parentum de morbi longitudine, procedunt quęrimoniæ, hinc aliorum remediorum fuga oritur; quia uno lęsionem afferente, cętera quoque suspecta, licet non sint, habentur; hinc artis Medicæ contemptio, gloriæque qua adeò meretur, priuatio, euenunt; hinc adsummum magna & ferè innumerabilia damna ortum ducũt, quapropter haud mirum, si iam dixerimus, febribus ratione causæ efficientis vinum vtrumque nocentissimum esse.

Tandem dicunt, vinum causæ febris finali aduersari, verius quidem loquerentur, si dixissent, auxiliari: nam quemadmodum proprius febris finis est actionum lęsio; sic in corpore febricitante vini exhibiti finis est (vt ex dictis patet) ijsdem obesse actionibus; itaque conspicuum est, febribus generaliter spectatis vinum nullo modo beneficum esse.

Soluuntur quæ pro febribus acutis in particulari iam dicta sunt.

GEneralia à singularibus ortum ducere, vera Stagiritæ extat opinio, si ergo ab aduersæ sententiæ viris iam generaliter asserta,

falsa

falsa esse declaratum fuerit, absque alio discursu declaratum remanet, dicta quoque in particulari falsa existere, nihilominus vt speciosior ac clarior veritatis eniteat facies, eadem etiam in particulari soluere aggredimur.

Acutis febribus uinũ maleficum.

Primo loco probant febribus acutis vinum vtilissimum esse: quas probationes vt validæ ac inconcussæ appareant, congredientesque quamlibet vincant sententiam, parma Hippocratis, ac scuto Galeni vestiunt atq; muniunt: at frustra siquidem Galenus in illo 7. Meth. citato, post verba illa recitata, hęc addit, *at vbi curare hoc ante illud non licet, ad id quod ordo dictat, est respiciendum*, modò vrget febris, quia acuta, vires vrgent, quia debiles, at per quid debiles? certè propter febris acuitatem, qua haud ablata, virium debilitas nunquam aufertur, ordo ergo curationis exposcit, vt ad febrem potius respiciatur, qua minimè curata, frustra viribus medela adhibetur. Præterea quando Galenus ait, *ad id quod vrget curantis consilium dirigi oportet*, intelligit profectò altero non contempto: hoc quidem eo loci haud neglexit, licet non expresserit, alibi tamen id expressit, in 1. ad Glauconem pręcipuè cap. 14. vbi hęc habet, *ad id quod vehementius ac difficilius est intendendum, non post habita omninò etiam alterius cura*, idem Auicenna 1. 4. tract. 2. cap. 7. docet; modò in febre acuta si vinum exhibeatur, vires quidem & spiritus refocilantur, aliaque enarrata præstantur bona, sed febris symptomataq; ipsam concomitantia ac simul ipsius materia despiciuntur, ipsisque despectis, viribus haud medemur, sed ipsas potius afficimus: quapropter vino tanquam suspecto derelicto, eligere expedit quę & vires regenerare, & spiritus refocilare valent, nec febri ipsiusque materiei, ac symptomatibus incrementum prębent, talia sunt ptisanæ cremor, adeò in acutis ab Hippocrate & Galeno in 1. de ratione victus textu 18. & sequentibus commendatus, aqua carnis, restaurum caponis, seu pullæ, aut vituli, aliaque huiusmodi; hęc quidem nutriunt nulla inferendo grauitatem, spiritus refocilant, diuq; vires, ne cadant, sustentant, nec humores agitant, nec caput petunt, nec febrem augent, nec putrefiunt; quia cum sint modica in mensura propinata, ac grata atque suauia, nec non partibus nutriendis ferè similia, natura eadem amplectitur, retinet, ac celeriùs, atq; facilius concoquit. Damna autem, quę ex vini exhibitione fugitare non possumus, ex horum alimentorum vsu facilè vitamus; quo fit vt quamuis vinum facultate alimentali ac medicamentosa polleat, acutis nihilominus, in quibus humores calidi prædominantur, haud *conuenit*, & propterea Hippocrates quando in acutis cibum duplici hac virtute, medicamentosa, scilicet, & alimentali insignitum laudat, non vinum (nisi post humorum concoctionem & expurgationem) sed ptisanam tan-

tanquam hiſce febribus maximè aduerſantem præcipuè intelligit: hinc Galenus in illo textu 27. primi libri acutorum citato panem, chondrum, oua & ſimilia, in acutorum regimine excludit, facta cum ptiſana comparatione, præferens ſcilicet ipſam ptiſanam pani, ouis, aliiſque enarratis, vbi quidem nullam vini facitat mentionem, & iurè, quia vinum & ſi ex vna parte beneficum ſit; ex altera tamen plenum exiſtit periculis, at ptiſana qualibet noxa immunis eſt, vt experientia, & Galenus ex Hippocrate loco citato confirmant, ptiſana ergo in acutis potius eligenda, cum eadem beneficia à vino tributa, ipſa quoque, quin plura & efficaciora, præſtare valeat, careatq; periculis illis, quibus vinum, quodcumque illud ſit, abundat.

Ex his concludimus malè verba Hippocratis in 1. illo libro de vic. rat. tex. 1. citato, eſſe intellecta, quod ſcilicet vinum illudq; vinoſum in acutis febribus laudat: nam ibidem duntaxat conſiderandum proponit, an acutis vinum, melicratum, cæteraque ibi propoſita conueniant, ſed ibidem nihil determinat, verùm in tex. 7. vinum album vinoſum cum ad veſicam penetret, ac vrinam prouocet, morbis acutis opem ferre aſſerit: hoc tamen non quolibet tempore opportunũ eſſe intendit, ſed ſolòm facta humorum maturatione ac depletione, nã curæ regularis lege quilibet tenetur Medicus diurethicis haud vti, niſi corpore euacuato, vel ſaltem humorum diminuta abundantia, ne humores ad viam vrinæ deducti, Stranguriam, ſeu Iſcuriam, vel alium grauem affectum cauſent: itaque Hippocrates vinum in acutis non quolibet tempore, vt aduerſarij credunt, ſed peracta duntaxat humorum maturatione commendat, quo tempore innocuum poteſt eſſe, quod nos quoque concedimus, vt ex dictis in Membro 2. patet.

Hic nos etiam animaduertimus, quòd quando in febribus acutis ſumma virium imbecillitas adeſt, tunc non eſt malum modico vini imbecilli, non meraci vti; rationes huius rei ſupra in Membro 3. attulimus: quare hic aliud non addimus, ſed ad confutanda quæ de Cauſonide, aliiſque febribus attulerunt, progredimur.

Quæ pro Cauſonide aſſerta fuere, ſoluuntur.

FEbre hac laboranti vinum quidem eſt veluti venenum; nam ea debilitas, quam huiuſmodi ægrotantes habent, non ab alimenti inopia, ſed ab humorum prauitate, ac multitudine vires veluti ſuffocante, reuera procedit, quare potius euacuatione, quàm nutritione indigent; hinc ſi tunc vinum exhibeatur, natura magis ab eodem grauata, facilè ſuccumberet, nec vllum reciperet ſubſidium; & propterea Hippocrates in 2. de morbis tex. 65. in quadam febre ve-

luti

luti ardenti nec cibum, nec ſorbitionem vſque ad diem ſeptimam concedit, niſi æger debilis viſus fuerit.

Sic quoque illa ſiccitas ab alio quàm ab illo inexpugnabili febris ardore haud prouenit; quare potentiſſimo remedio actu & potentia refrigerante, ac humectante, non leui vti eſt vinum etiam imbecillum, ad eam medendam uti licet; quapropter ad hoc opus uinum ineptiſſimum eſt, aqua uerò, ſeu mulſa aquoſa cocta, ab Hippocrate in illo 4. acutor. tex. 34 propoſita aptiſſima eſt cenſenda; etenim utraque uino in hac febre præſtat; nam Hippocratis conſilium eſt, ut ægrotus in copia ad libitum aquam, uel mulſam ebibat, ut agiliter corpus refrigeretur, & humectetur, atque humores euacuentur; modò uinum in multa copia non licet concedere; quia eſſet ægrum potius inebriare, ac ueluti urere. nec in modica quantitate exhibitum optata afferre ualet beneficia: quia modicus vini hauſtus ab illa ardenti febris flamma abſorberetur, in calòrem præternaturam conuerteretur, atque incendium augeretur: hinc aqua ipſa uel in copia propinatur, ut facilè per aliquam corporis uiam tranſire ac euacuari poſſit, uel abſolutè denegatur, ne intus remanens, ipſa quoque in igneum uertatur calorem, & propterea Diuinus Senex ad libitum (quaſi diceret ubertim) monet aquam, uel mulſam bibendam, ut has profecto fugiat noxas; hoc pacto enim extra corpus per aliquem naturalium excretionum locum educuntur, nec metus eſt febrem ſeu bilem augeri, præcipuè ſi mulſa aquoſa ſit, ut Auctor noſter indicat.

Nec ualet quod addũt, quòd uinum ex Galeno lib. 12. Met. Med. cap. 4. bilis ferocitatem compeſcit; quia ibidem Galenus pro ſyncopis ex humore bilioſo os uentriculi uelicante medela, uinum adſtringens proponit duplicem ob cauſam: prima vt ventriculus corraboretur, ſecunda vt bilis ipſa retundatur, adſtringatur, ac ab ore ventriculi repellatur: & propterea loco illo citato ait, quod vinum ſucci acrimoniam mitigat; modò huiuſmodi vinum in hac febre haud conuenit, tum quia neceſſitas non adeſt ventriculum corroborandi, quia ardor febrilis in tali caſu ſolummodò vrget; tum etiam quia propter ſui adſtrictionem humorum ſenſibilem ac inſenſibilem impediret euacuationem, quod eſſet maximè pernitioſum; quapropter dato etiam quòd vinum huic febri conueniret, hoc tamen tanquam auſterum atque adſtringens exhiberi non deberet, cum vapores intus retinendi, ac humores adſtringendi nulla adſit neceſſitas, quin ſummam habeamus vrgentiam corpus tranſpirabile, ac fluxibile reddere; quare aliquod aliud non adſtringens ac auſterum eſſet eligendum, tale autem ſecundùm Galeni mentẽ loco citato bilis acrimoniam compeſcere haud valeret quia hoc vi-

ni

ni auſteri adſtringentis propriũ exiſtit munus; cum ergo ex vini alterius vſu in hac febre talem nequimus habere vtilitatem, nempe ſucci acrimoniam mitigare; nec alia nos vrgeat neceſſitas, ne in bilem vinum ipſum vertatur, ac tam magnum incendium amplius increſcat, vulgares etiam ac idiotæ homines ipſum quidẽ reijciendum eſſe, acriter exclamant; patet itaque quòd talis Galeni auctoritas ad propoſitum nihil faciat, ac proinde fruſtra totics repetitur. Propterea cõcludimus quòd prorecta huius febris cùratione aqua, vel mulſa ad libitum, hoc eſt liberaliter epota, præſtantiſſima ac vtiliſſima, vinum verò quodlibet viliſſimum ac damnoſum exiſtit.

Quæcunque pro ſynochis dicta ſunt reijciuntur.

IN his quoque febribus virium debilitas (præcipuum aduerſantium refugium in vini pro febribus laudibus) nõ propter aliud, niſi ob humorum putridorum copiam reperitur; quarè Galenus in 9. Met. Med. lib. cap. 5. pro febrium continentium curatione duo duntaxat proponit remedia; largam ſanguinis ſcilicet miſſionem, & facta humorum coctione liberalem aquæ frigidæ potum, nempe vt talis humorum abundantia euacuetur, naturaque à tam graui materiæ onere liberetur; vbi ſanè vini nihil meminit, & tamen prolixè cuncta pro harum febrium regimine præcipit, quin Υδροφοβους, hoc eſt aquæ frigidæ exhibendæ formidantes, acriter inculpat, hinc in 11. Met. Med. cap. 9. expreſsè docet in ſynochis vino nequaquam eſſe vtendum; vbi quidem apparet quòd modus hic horum virorum has curandi febres valde à Galeni recedit præceptis, idcirco reijciendus, atque cum illa virium in hiſce febribus debilitas, ab humorum putridorum proueniat multitudine, expedit non vini exhibitione naturam magis grauare, ac à ſuo diſtrahere officio, ſed iuxta Galeni placitum iam expoſitum phlebotomia, atque aquæ frigidæ adlibitum potione, illos humores euacuare, quo facto vires quidem ab humorũ pondere, ac malitia liberatæ validæ profectò euadent; interim vires ipſæ cum ptiſanæ cremore, ſiue alio leui refrigeratorio alimento ſunt conſeruandæ, vinumq; tanquam hiſce febribus ex Galeno 10. Met. proximè citato, aduerſum ſemper eſt fugiendum.

Nec dicatur quod meracum, non imbecillum Galenus interdicit; quia ibi de quolibet vino tàm meraco quàm imbecillo generaliter loquitur, & quidem ſi meracum duntaxat ſuſpectum haberet, id profectò declararet, imbecillumq; proponeret, cum multiloquium ipſum nunquàm tęduerit; quodlibet ergo vinum tanquam nocuũ vetat, quod etiam aduerſarij tanquam ipſius Galeni doctrinæ ſe-

quaces

quaces facitare deberent: synochis ergo febribus vinum numquam salubre.

Diluuntur quæ pro febribus Breuibus proposita sunt.

IN his febribus vires multùm vigent, vnde non est necessitas victus mediocri, vti est vinum, tam citò vti; Auicenna in 1. 4. tract. 1. cap. 9. in ephemera, quæ breuis & leuis est febris, consulit vt cibatio vsque ad totalem febris declinationem posponatur, à principioque aqua frigida vtatur. Præterea in alimentorum (vt etiam remediorum) electione duplex est curantis scopus, vnus præsentem curare morbum, alter præseruare ne maior vel longior euadat; modò si quis vinum tali febre correpto dederit, maiorem & diuturniorem febrem profectò redderet, quia natura ad vini concoctionem applicata, aduersùs morbum pugnare desineret, vnde augeretur morbus, diùque protraheretur, pręterquamquod ab ipsius vini vsu facilè causari possunt cuncta illa damna, quæ ante humorùm concoctionem, si exhibeatur, euenire solent, vt iam demonstrauimus; quarè melius est vt aliqua aqua hisce febribus appropriata administretur, talis quidem vini ad aquam mutatio non est nocua, nec hanc Hippocrates in illo 2. acutorum indicato intelligit, dum ait, cauendę sunt consuetudinis mutationes, nam de extrema ibidem loquitur consuetudinis mutatione, quę profectò vt vitiosa est fugitanda; verbi gratia si quis consuetus fuerit prandere, & non prandeat, bibere, & nihil bibat, tunc repentina ac vitiosa consuetudinis fit mutatio, quæ non mediocres parit noxas, sed si vice vini aquam mulsam vel saccaratam, vel hordei cum syrupo acetoso mixtam, seu aliquid aliud simile biberit, quæ omnia grata ac benefica, tanquam febri contraria, naturæ esse solent, non est repentina & extrema mutatio, quia potu ęger haud omninò priuatur, & quòd de tali mutatione Hippocrates sermonem faciat, satis superque eius testantur verba, quæ talia sunt; *nempe tum ijs, qui bis die comedunt, tum ijs, qui semel, noxas infirmitates pariunt repentina mutationes*, &c. & infra in tex. 24. adhuc ad propositum magis loquens, hęc addit, *præterea qui bis cibum sumere consueuerunt, ij nisi pransi fuerint, imbecilli & infirmi fiunt.* &c. ecce quòd Hippocrates de extrema sermocinatur mutatione; nam ad prandendi vsu, ad non prandendum est transitus veluti ab habitu ad priuationem, quasi ab extremo ad extremum, talis mutatio est repentina & damnosa, vnde iurè merito vitanda est.

Sic etiam quando idem Hippocrates in illo libro de affectionibus ait, *quibuscumque cibis, aut potibus homines sani in victu vtuntur ex ijs oportet præsentibus vti ad ægrotos*, intendit quidem si alii cibi

non noceant, quod infra in tex. 42. satis declarat, dum sic loquitur, *quotiescunq. cibos aut obsonia, aut potus ægroti concupiscunt, exhibeto, si non corpori damnum inde accessurum est*, concupiscunt autem ægrotantes consueta; quarè si ex his nocumentũ recipiant denegãda sunt. Cũ itaq, vinũ febricitantes maximè lædat, vt demõstratum est, etiamsi familiare & assuetũ ægrotanti sit, non est tamen concedendũ, ne noxã ab eo recipiat. Quapropter in his febribus, ne maiores, atq; diuturniores euadant, non vino, sed aliqua aqua magistrali est potius vtẽdum.

Solutio rationum, quibus Hecticis vinum conuenire probant.

Contendunt vinum hisce febribus esse perutile, at toto Cœlo decipiuntur; nam Galenus 10. Met. Med. cap. 11. asserit, quòd quantò hecticorum affectus est calidior, tantò vtique frigidiora requirit remedia, sed vinum etiam imbecillum gradum frigidiorem non obtinet, ergo febribus his haud conuenit. Confirmatur, quia tum Galenus loco proximè citato, tum Paulus Aegineta lib. 2. cap. 33. plerique alij Medicinæ auctores frigidum & humidum victum pro hecticę curatione duntaxat proponunt, vnde succum ptisanę, aquam carnis, lac, balneum, & similia enumerant, nec vini quidem meminerunt: Alexander Trallianus lib. 12. cap. 4. inter alios vinum his febribus aduersum esse, his verbis confirmat, *qui verò cum febre marcescunt, ijs vinum dare cautio est, vt quod eis si quid aliud maximè aduersetur*, & sanè haud absq; ratione, quia vinum licet vni iam propositæ satisfaciat indicationi, quę est deperditas restaurare vires, alteri tamen minimè suplet, quę est summoperè refrigerare atque humectare ob summam membrorum intemperiem calidam & siccam, habet enim, vt dictum est, partes calidas, sicque ad talem præstandum effectum haud idoneum existit.

Propterea eligenda cętera ab auctoribus proposita, lac pręcipuè & Balneum, lac sanè quod quamuis Hippocrates in 5. sect. aph. 69. tot denegauerit morbis, tabidis nihilominus (vt etiam Cornelius Celsus lib. 3. de re Medica cap. 22. considerat) audacter concedit, lac namque citra vllam noxam, ac suspicionem, quibus vinũ haud caret, magis celeriusque quam vinum ipsum nutrit, refrigerat, atque humectat, si quidem lac est sanguis dealbatus, vnde ad hoc vt ad formam sanguinis pristinam redeat, leui indiget venarum & Hepatis elaboratione, eoque in sanguinem conuerso, cum nobis familiare ac naturale vsque à conceptionis die alimentum sit, promptiùs retinetur, intraque membra insinuatum, magisq. atractum, celeriùs quidem nutrit, per longumque tempus ęgrotantem in vita conseruat.

Historia. Habemus historiam pro lactis efficacia à Schenckio lib 7. obseruatio

num

num medicinalium relata, vbi reffert, quòd quędam puella annos ſedecim nata ſolo lacte educata fuerat, alterius cuiuſcumque cibarij expers, etiam à pane ipſo abhorrebat, magnam ergo cum partibus hominis nutriendis lac habet familiaritatem, vinum autem cum à ſanguinis natura multùm recedat, nec nobis, vt lac, ita familiare, ac naturale ſit, non ſic natura illud amplectitur, multaque ac longa indiget concoctione, ac proinde vt lac nequaquam alere valet. quòd verò magis quàm vinum & refrigeret & humectet, certum eſt: nam vinum etiam imbecillum, ut iam probatum eſt, portiones habet calidas, lac autem quotieſcunque animal, cuius eſt lac (quod quidem in Hecticis obſeruandum) frigidis nutritum ſit herbis, totum frigidũ, & homidum eſt, præterea dum ab inſita mammarum temperie, ac uirtute, nulli alio membro donata, ſanguis concoquitur, ac dealbatur, quęlibet ſanguinis portio calida euaporat, frigidiſque ſolis remanẽtibus, lac totum frigidum euadit, magis igitur quàm uinum lac refrigerat, atque humectat, ac proinde hecticis utilius ac ſalubrius quam uinum ipſum exiſtit. hinc Galenus libro de bonis & malis ſuccis cap. 4. lactis laudes dum epilogat, hęc ſubiungit, *omnium alimentorum lac eſt optimum.*

Nec obſtat quod dicunt, lac eſſe alimentum leue, fluidum, corruptioni diſpoſitum &c. quoniam eſſe leue nutrimentum ac fluidum hecticis haud nocet, ſed magis congruit, cum facilius ac celerius concoquatur, ac per membra diſtribuatur, e contra uinum, quod durius alimentum eſt, non ita facilè à debili Hectici uentriculo concoquitur, ac proinde non ſic, ut lac, ipſi iuuamento eſt.

A corruptione etiam lac immune remanet, quotieſcumque regulę à Galeno indicatæ obſeruantur, nempe quando ſtatim ac emunctum fuerit adhuc calidum ebibitur, poſtea tum animi, tum corporis quilibet uitatur motus, primęque uiæ ſemper mundæ ſeruantur: lac ergo uino ipſo pro hecticarũ medela laudabilius ac efficacius exiſtit.

Balneum quoque, quantùm ad ſui *miniſterium ſpectat*, uino eodẽ Hecticis utilius eſt, quia & ſi non nutriat, maioris tamen ac facilioris nutritionis cauſa poteſt eſſe, ſiquidem frigidum Balneum magis quàm uinum Hectici corpus refrigerat, atque humectat, tepidum uerò membra nutrienda diſponit ad atrahendum, ac ſuſcipiendum alimentum, ipſumque retinendum, quod uinum facere inſufficiens quidem eſt. Balneum itaque pro maiori Hecticorum utilitate uinum antecellit, ac proinde ut ſuſpectum, ac cæteris alimentis minus tutum ab harum febrium regimine eliminandum eſt.

Confutantur quæcumque pro vini in Peſtilentibus vſu allata ſunt.

STudent prædicti ingenioſi viri in tam vehementi, ac atroci læthiferis morbi aduersùs naturam obſidione, ac pugna validis vini viribus miſeris ſuccurrere ægrotantibus: at minimè animaduertunt, doloſa valdè hæc exiſtere auxilia, cum magna huiuſmodi morbi vires maiores facitare, quàm deprimere parata ſint. Equidem ſummus Hippocrates in 1. ſect. aph. 7. ait, *vbi igitur morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores, & extremè tenuiſſimo victu vtendum eſt*, Galenus in commento reddens rationem, aſſerit, quòd melius eſt naturam permittere circa morbi concoctionem vacare, quàm ad cibos recenter aſſumptos ipſam diſtrahere; per tenuiſſimum victum Galenus ipſe exponit, duo Hippocratem intelligere, omnimodam ſcilicet inædiam, & ſolius melicrati exhibitionem, ac ſuccum ptiſanæ paucum omninò: Guidus Antonius Albanenſius profundæ doctrinæ vir, fulgentiſſimum Medicinæ ſydus, Patauij decus, Patauinæque Academiæ eximius Theoriæ Profeſſor, in ſuo doctiſſimo opere ſuper Hippocratis aphoriſmos horum verborum, *tenuiſſimo victu vtendum eſt*, magis ingenioſam præbet expoſitionem, dum ſcribit, Hippocratem intelligere per tenuiſſimum victum ſolam potionem, ſiue ea ſit ex aqua ſimplici, ſiue ex melle, aut oxymellite; & ratio huius ſenſus pro hoc auctore gemina eſt, vna quòd Hippocrates vniuerſaliter de morbis acutis loquitur, ergo per tenuiſſimum victum quid vniuerſale debet indicare, tale autem eſt potio in communi ſumpta; altera quòd integra inædia eſt valde noxia, quia auctore Galeno libro aduersùs Eraſiſtratum de venæ ſectione omnimoda inædia corpus vniuerſum liquefacit, exſiccat, pleraque alia ſolet afferre nocumenta; itaq; talis huius viri interpretatio Hippocratis menti conformior, atque magis perſpicax nobis videtur.

His ita præhabitis inueſtigandum an febris Peſtilens morbus peracutus ſit. equidem varia ac ſæua ipſam concomitantia ſymptomata, talem eſſe ſatis confirmant; eſt namque calor exteriùs mitis, intus vehemens, ac flagrans, adſunt vigiliæ fortes, ſitis inexſtinguibilis, maxima linguæ ſiccitas, ac aſperitas, afflictiſſima cordis deliquia, mentis alienatio, neruorum tremores, ac conuulſiones, aliaque aſpectu terribilia à Galeno 6. Epid. com. 1. tex. 29. & alibi, Rufo cap. 25. ac Auicenna 1. 4 trac. 4. cap. 2. fusè recenſita: talia autem ſymptomata morbi peracuti propria ſunt: ergo febris Peſtilens morbus peracutus apellari debet, ac proinde pro eiuſ-

dem

dem curatione victu vtendum est tenuissimo, hoc est aut melicrato, aut exymelle, aut aqua simplici naturali, vel arte facta; cum ergo tenuissimo victu curari liceat, vinum quod sub tenuissimi victus specie haud comprehenditur, nullo pacto ipsi conueniens potest esse; & quidem nec ratione febris, neque materiæ, neque virium pestilentibus ipsis febribus vinum conueniens existit.

Non ratione febris; quia calor febrilis in his maximus est: & quamuis Galenus in illo 9. libro de simpl. Medicam. facultate cap. de terra Samia asserat, febres Pestilentes vehementes calore non esse, id nihilominus quoad apparentiam, seu externas partes, non certè internas affirmat; quoniam in 6. Epid. com. 1. tex. 29. iam etiã indicato hæc habet, *atque iccirco neque calidi, & perurentes qui peste laborabant tangentibus videbantur, quamuis interius magno flagrarent incendio*, eccè confirmatum quod asseruimus, nempe Galenum in loco citato intendere calorem mitem, & paucum exteriùs apparere, interiùs verò magnum ac perurentem existere, cum itaque in febribus his morbosus calor ita occultus ac vehemens sit, vinum etiam imbecillum fugitare decet, ne ab eius vsu noua flamma indicato incendio addatur. & licet Galenus Samiam vino albo deuorandam præcipiat: id tamen factitat, vel quia supponit pestilentiam febre carere, vt ipse loco citato indicat, vel quia vinum Samiæ mixtum medicamentum non alimentum est, cuius leuis calor à terræ frigiditate fractus & comminutus idoneum & opportunum hisce febribus euadit; cæterum segregatim solum, vt alimentum, exhiberi à Galeno nunquam conceditur: ratione ergo febris vinum etiam imbecillum detestabile teneri oportet.

Sic nec ratione materiæ vinum tum imbecillum, tum etiam meracum conuenit, quia materia talis cum maximè sit putrida, ac proinde valde calida, & humida, eius curatio in exsiccatione consistit; & propterea Auicennas in 1. 4. tract. 4. cap. 4. ait, *summa curationis earum est exiccatio*, exiccatio autem hæc cum frigiditate debet esse iuncta: idcirco remedia frigida & sicca ibidem Auicennas ipse proponit, atque tandem hæc addit, *& oportet vt sint cibi ex acetosis & desiccatiuis*, vinum autem imbecillum non exsiccat, sed potius humectat, ac proinde sua humiditate putredinem auget: ergo tale damnandum; meracum verò exsiccat sanè, sed cum etiam valdè calefactiuum sit, nocet; plus enim iusto obstructiones aperiens, densata rarefaciens, humoresque calidos calfaciens, ipsos agitat, fundit, ac in varijs præcipitat partibus: ex quo *haud* pauca ægrotanti euenire solent detrimenta; quare etiam ratione materiæ vinum aduersissimum æstimandum.

Denique nec virium ratione congruit; nam languor earum non

nisi

nisi ab excellentis illius putredinis sarcina procedit, quæ nisi depleatur, restaurari nequeunt: vnde eadem intus manente putredine frustra alimenta optimi succi adhibentur: quapropter si quis ante huiusmodi sarcinæ expulsionem vinum præbeat, natura inde in talis expulsionis conatu summopere vexatur, ac vetatur quominus rectè ad hoc munus sese ferat: hinc eadem sarcina adhuc intus morante, ac potius gliscente vires magis præsæ, ac languidæ remanent: certum enim est, vini concoctionem absque naturæ labore haud perfici: repatitur ergo natura, prætermittit aduersus morbum pugnam, ac per consequens vires debilitantur: & propterea etiam virium ratione vinum semper maleficum est.

Cordialia vulgata Pestilentibus febribus vtilissima.

